



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Liber II. De Præceptis Virtutum Theologicarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

THEOLOGIA MORALIS

Antehac ex probatis Auctoribus
breviter concinnata

à

R. P. HERMAN. BUSENBAUM
Societatis JESU, SS. Theo-
logiæ Licentiato;


Nunc pluribus partibus aucta

à

R. P. CLAUDIO LA CROIX
ejusdem Societ. JESU, SS. Theo-
logiæ in Universitate Coloniensi
Doctore & Professore
publico.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud SERVATIUM NOETHEN
Bibliopolam, an der hoher Schmidt.
Cum Privilegio Sacra Casarea Majestatis,
& Superiorum permissis.
ANNO 1707.



T

De

C

Q

C

L

L

L

L

L

L

L

L

L

L

L

L

L

L

L

L

I N D E X

Tractatum, Caputum, Dubiorum, & Quæstionum Libri II.

Numeri hic, designant paginam.

L I B E R II.

De Præceptis Virtutum Theologicarum. Pag. 1.

Q. 1. An sit speciale præceptum eliciendi actus
Fidei, Spei & Charitatis. 1.

TRACTATUS I.

De præceptis Fidei. 2.

CAPUT I.

Quæ mysteria Fidei necessariò credenda sint. 2.

Q. 2. Quid notandum sit circa varias propo-
sitiones in hac materia damnatas. 4.

Q. 3. An fides omni planè homini sit ad salutem
necessaria necessitate Medii. 11.

Q. 4. An & qualis fides de necessitate Medii præ-
requiratur ad justificationem; item ad meritum
aliosque actus supernaturales. 14.

Q. 5. Quænam opponi soleant contra dicta q.
præced., & quomodo solvantur. 34.

Q. 6. Quomodo homo, etiam rudis, instrui & in-
duci debeat ad credendum. 42.

Q. 7. Quomodo practicè elici possit ejusmodi actus
fidei. 45.

CAPUT II.

Quando obliget præceptum Fidei. 46.

Q. 8. Quid notandum sit circa obligationem
fidei, quando tentatio urget. 49.

Q. 9. Quid addendum sit circa 4tam propos. ab
INN XI. damnatam. 49.

Q. 10. Quid addendum sit circa alias propos. hic
damnatas. 54.

Q. 11. An ille specialiter obligetur præcepto eli-
ciendi fidem, qui per hæresin vel aliud peccatum
† 2 infi.

Index Tractatum &c. & Questionum.

infidelitatis amittit habitum fidei. 56.

Q. 12. Quid addendum sit circa obligationem professionis fidei. 56.

Q. 13. An præceptum affirmativum credendi sit naturale an positivum. 56.

C A P U T III.

An aliquando liceat exterius fidem veram negare aut falsam profiteri. 57.

Q. 14. Quid notandum sit circa propos. hæc damnatas. 62.

Q. 15. Quandonam præterea censeatur vel non censeatur quis negare fidem. 65.

C A P U T IV.

De infidelitate & vitiis fidei oppositis. 70.

D U B I U M I.

Quid & triplex sit infidelitas. 70.

Q. 16. Quandonam deficiat fides in aliquo. 71.

Q. 17. An omnes actiones infidelium sint peccata. 72.

Q. 18. An certum sit, quod infidelitas purè negativa sit inculpabilis. 73.

Q. 19. Quam potestatem habeant Ecclesia & Principes Catholici circa infideles. 74.

D U B I U M II.

De Judaismo. 77.

Q. 20. Quomodo intelligenda sint ea, quæ prohibentur in jure circa communicationem cum Judæis. 78.

D U B I U M III.

Quid sit hæresis. 81.

Q. 21. An præsumi possit in Germania esse aliquos, qui sint hæretici materiales tantum. 83.

Q. 22. Quid observandum sit circa Matrimonia cum hæreticis. 86.

Q. 23. An liceat famulari hæretico. 89.

Q. 24.

Index Tractatum &c. & Questionum.

- Q. 24. An licitum sit Catholico administrare officium politicum apud hæreticos. 91.
Q. 25. An liceat Catholico promovere v. g. ad Parochiam aliquem Ministrum hæreticum, quem putat minùs nociturum veræ Religioni. 91
Q. 26. An liceat hæreticos sepelire in loco Sacro. 92.
Q. 27. An in locis, ubi viget vetus Calendarium. licitum sit festa & jejunia secundùm illud observare. 93.
Q. 28. An sit obligatio denunciandi hæreticos formales. 93.
Q. 29. Quis possit absolvere ab hæresi. 93.

TRACTATUS II.

De præcepto Spei. 94.

- Q. 30. Quanta sit necessitas Spei. 95
Q. 31. Quomodo aliquis practicè instrui & induci debeat ad spem Theologicam. 95.
Q. 32. Quomodo practicè elici possit actus spei. 98.
Q. 33. An sit præsumptio, si quis ideo audaciùs peccet, quia scit Deum esse infinitè misericordem, aut quia scit se unâ confessione vel uno actu contritionis delere posse multa peccata. 98.
Q. 34. An sit præsumptio, si quis ideo peccet, quia simile peccatum commisit, postea unâ operâ coufitendum. 98.
Q. 35. An detur parvitas materiæ in præsumptione. 99.
Q. 36. Quandonam amittatur spes. 99.

TRACTATUS III.

De præceptis Charitatis. 100.

CAPUT I.

An, quando & quomodo obliget præceptum Charitatis Dei. 100.

- Q. 37. Quid notandum sit circa propositiones hic damnatas. 102.
Q. 38. Quid notandum sit circa propositionem,

Index Tractatum &c. & Quaestionum.

- quam Alex. VIII. damnavit. 111.
Q. 39. Quomodo aliquis disponi possit ad perfectum amorem Dei. 113.
Q. 40. Quomodo practicè elici possit actus Charitatis in Deum. 118.
Q. 41. Quomodo præterea possit voluntas nostra exerceri in actibus amoris perfecti. 120.

C A P U T II.

De præceptis Charitatis erga proximum. 138.

D U B I U M I.

Quis ordo servandus inter personas, quæ diliguntur. 138.

- Q. 42. An teneamur proximum diligere actu interno & formali. 140.
Q. 43. An Pastor cum quocumque damno suo teneatur subvenire subdito in gravi necessitate Spirituali constituto. 142.
Q. 44. Quænam necessitas Spiritualis dicatur extrema gravis vel communis. 143.
Q. 45. An quis possit aliquando vitam vel bonum suum postponere vitæ aut bono alterius privati. 144.
Q. 46. Quid debeat facere Sacerdos, si simul vocetur ad baptizandum infantem & ad absolvendum adultum, quorum alter certò morietur absque Sacramento, si postponatur alteri. 146.

D U B I U M II.

De odio & dilectione inimicorum. 147.

- Q. 47. An licitum sit tristari de vita aut gaudere de morte alterius. 151.
Q. 48. An aliquando sit obligatio petendi veniam vel se infinuandi apud offensum. 154.

D U B I U M III.

De præcepto elemosynæ seu misericordiæ corporalis. 156.

- Q. 49. Quænam necessitas corporalis dicatur extrema, gravis vel communis. 161.

Q. 50.

Index Tractatum &c. & Questionum.

- Q. 50. Quid ad propositionem 12. ab Inn. XI. damnatam sit addendum. 163.
Q. 51. An etiam peccet contra justitiam, qui pauperi extremè indigenti non dat eleemosynam. 168.
Q. 52. An sit obligatio gratis dandi extremè indigenti. 170.

DUBIUM IV.

De misericordia Spirituali seu praecepto correptionis fraternae. 171.

- Q. 53. An aliquis teneatur corrigere proximum, qui mortaliter peccavit, si non sit periculum, ut relabatur. 175.
Q. 54. An spes fructus debeat esse certa, vel sufficiat esse probabilem, ut quis teneatur corripere delinquentem. 175.
Q. 55. An ergo semper sit obligatio gravis corripienti proximum, si aliàs putetur in peccato moriturus. 176.
Q. 56. Si verba non juvent, an debeat vel possit proximus aliter corrigi. 177.
Q. 57. An aliquando sit gravis obligatio corripienti solos defectus subditorum. 177.
Q. 58. An sit obligatio corripienti eum, qui ex ignorantia peccat. 177.
Q. 59. An & quando sit obligatio denunciandi vel deferendi aliquem. 178.
Q. 60. Quale detrimentum vel cujus emolumentum amissio excuset à correptione fraterna. 182.

DUBIUM V.

De scandalo. 183.

ARTICULUS I.

- Quid, quotuplex sit, & quale peccatum. 183.
Q. 61. An sit peccatum scandali suadere minus peccatum illi, qui alioquin facturus est majus. 187.
Q. 62. An ergo etiam sine periculo scandali sit licitum

Index Tractatum &c. & Quaestionum.

- citum aliquem inducere ad ebrietatem, ut sic
impediatur aliud majus peccatum. 188.
- Q. 63. An sit peccatum scandali vel injustitiæ,
suadere alicui, ut potius furetur Petro quàm
Paulo vel potius diviti quàm pauperi. 189.
- Q. 64. An nunquam sit mortale inducere aliquem
ad veniale. 192.
- Q. 65. Quomodo peccent pingentes vel exponen-
tes imagines obscenas. 195.
- Q. 66. Quid de turpibus comœdiis sit dicendum.
195.

A R T I C U L U S II.

An & quomodo scandalum passivum permitti pos-
sit, aut ob illud vitandum aliquid omitti de-
beat. 198.

- Q. 67. An sit obligatio omittendi actionem
ad evitandum aliorum scandalum. 203.
- Q. 68. Quid addendum sit circa denudationem
colli & pectoris in mulieribus. 204.
- Q. 69. Quid dicendum sit de sceminis, quæ per-
mittunt sui tactus vel oscula. 206.

A R T I C U L U S III.

An liceat alterius peccato materialiter cooperari. 207.

- Q. 70. Quid hîc notandum sit circa propositio-
nem 51. ab Inn. XI. damnatam. 211.
- Q. 71. Quomodo liceat petere, permittere vel co-
operari ad aliquid, quod non fit sine peccato. 213.

Pag. 171. Lin. 6. pro, conceptionis, Lege, con-
reptionis.

LIBER II.

LIBER SECUNDUS.

De Præceptis virtutum
Theologicarum.

Questio I. Generalis hinc est, an sit speciale præceptum eliciendi actus fidei, spei, & charitatis.

R. Præter alios negavit *Jansenius*, uti refert *du Bois* ad propof. 1. ab *Alex. VII.* damnatam, a. 1. sed oppositum est nunc certum, postquam idem *Alex.* die 24. Sept. Anno 1666. damnavit hanc 1. prop. homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium: Itaque certum est Deum præcipere, ut actus illi eliciantur: cum autem præcepta illa non determinent tempus, quando actus illi elici debeant, concludit *du Bois* a. 5. quòd obligent primo quoque tempore, uti dictum est L. 1. n. 587. hinc obligant ab initio usùs rationis, quando homo jam agnoscit Deum, & capax est intelligendi ea præcepta, ita ut sit mortale diu negligere vel differre illos actus.

Præterea etiam certum videtur, quòd sit obligatio eos actus eliciendi sæpius in vita, uti constabit ex sequentibus; quandonam autem & quàm sæpe, manet dubium, circa quod in decursu referemus sententias: consultum est, ut eliciantur quàm sæpissime, tum quia maximè necessarii sunt & meritorii, tum ut præceptis illis divinis certò satisfiat. vide dicenda à n. 50.

A

TRA-

II.

TRACTATUS PRIMUS.

De Præceptis Fidei.

CAPUT I.

Quæ mysteria Fidei necessario
credenda sint.

- EX iis, quæ fideles explicitè credere tenentur,
 quædam necessario credenda sunt, necessitate
 mediæ, seu finis; sine quibus, etiam inculpabiliter
 ignoratis, finis ultimus obtineri nequit.
 alia necessitate præcepti, sine quibus inculpabiliter
 ommissis finis potest obtineri. *Sanch. 2. moral. cap. 2. Azor. Valent.*
- Resp. I. Necessitate mediæ necessaria sunt
 hæc duo, I. Explicitè credere Deum esse, & remuneratorem
 bonorum esse, juxta illud Apostoli ad *Heb. 11. Credere oportet. Trident. Sess. 6. c. 8. 2.* Post sufficientem Evangelii promulgationem
 credere explicitè, ut vult *Mol;* aut saltem implicitè, ut probabiliter quidam docent, cum
Kon. & Lay. Christum & sanctissimam Trinitatem, *vid. Escob. Ex. 2. c. 6. n. 20.* ubi ex *Vasq. l. 2. d. 126. c. 3.* docet culpabilem ignorantiam horum
 mysteriorum, sive negligentiam ea discernendi, esse grave peccatum, distinctum ab eo,
 cujus est causa, *vid. Dian. p. 3. t. 5. R. 47. & 48.*
- Porro implicitè credere dicitur, qui credit
 aliquid explicitè, in quo alterum implicitè est:
 v. g. si credas, quod credit Ecclesia, v. *Schol. & Laym. l. 2. tr. 1. cap. 8.*
- Resp. II. Necessitate præcepti, quivis fidelis
 sub

sub mortali explicitè credere , & scire , crasso
 saltem modo & quoad substantiam tenetur
 hæc: 1. Symbolum , 2. Orationem Domini-
 cam. 3. Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ. 4. Sa-
 cramenta maximè necessaria ; ut Baptismum ,
 Eucharistiam , & Pœnitentiam : reliqua autem
 tunc , quando vult suscipere. *Suar. Sanch. Fill.*
n. 22. num. 39. Quæ omnia intellige, nisi impo-
 tentia, aut invincibilis ignorantia excuset, *Unde*
resolvitur :

I. Non omnes tenentur sub mortali hæc
 prædicta scire memoriter , aut eo ordine , aut
 iis verbis , quibus proponuntur ; sed quoad O-
 rationem Dominicam , scire , omnia bona pe-
 tenda esse à Deo , quæ est ejus summa ; quoad
 Symbolum verò , Præcepta , & Sacramenta ,
 sufficit , si quis rogatus de singulis rectè respon-
 deat. *Bon. to. 2. d. 3. q. 2. p. 2. Lay. cap. 9. Sanch.*
l. 2. cap. 3.

II. Quamvis sit præceptum Ecclesiæ discen-
 di memoriter Symbolum , & Orationem Do-
 minicam , & Salutationem Angelicam , velitque
Barbos. p. 3. c. 27. non esse absolvendum , qui ob
 negligentiam , vel verecundiam ea addiscere
 non curat ; consuetudo tamen , ut notat *Na-*
var. & Lopez , exposuit obligationem non esse
 ultra veniale , uti nec est ultra veniale , nescire
 facere crucem , ut docet *Sanch.* contra *Sylv.* qui
 docet esse mortale.

III. Moraliter nihilominus necessarium est ,
 ut rudiores memoriâ teneant Symbolum suâ
 linguâ , quia alioquin non possunt habere suffi-
 cientem cognitionem Articulorum.

IV. Falsa est opinio quorundam Canonista-
 rum,

rum, rusticis esse satis, articulos fidei, aliaque
 dicta credere implicite, credendo quidquid
 credit Ecclesia.

V. Excusantur ii, quibus aut defuit doctor,
 aut nunquam venit in mentem obligatio simili-
 lia discendi; aut qui nimis sunt rudes, ita ut non
 possint ea comprehendere aut retinere: quod
 saepe contingere docet *Azor. & Bec.* contra al-
 ios.

VI. Si Confessarius probabiliter iudicet pec-
 nitentem ignorare ex doctrina Christiana ea,
 quæ scire tenetur (quod de literatis, vel bene
 educatis, vel frequenter confitentibus præsu-
 mendum non esse monet *Sanch. 2. mor. c. 3.*) de-
 bet eum interrogare de negligentia in iis addi-
 scendis, cum per eam plurimi graviter peccent.
Ledess. Azor. t. 1. l. 8. c. 8. Trull. l. 1. c. 1. d. 4.

VII. Possunt absolvi (contra quosdam) qui
 ignorant ea, quæ sub mortali scienda esse dixi-
 Ratio, quia licet peccarint omittendo discere,
 possunt tamen de hoc dolere, cum proposito
 discendi. *Sanch.* Quod si tamen ignorarent ea,
 quæ necessitate mediæ scienda sunt, deberent
 instrui ante absolutionem. *Bon. d. 3. q. 2. p. 2.*
Sanch. n. 21.

VIII. Parochus suas oves (sicut parens libe-
 ros) tenetur sub mortali, per se vel alium do-
 cere, ea saltem, quæ sub mortali scire tenentur.
Sanch. l. c. Fill. tr. 22. n. 47. Palaus Kon. & c.

A D D E N D A.

Q. 2. Quid notandum sit circa varias propositiones in hac
 materia damnatas. *B. Seqq. §. 1. Concil. Rhemense*
 anno 1148. damnavit hanc prop. Petri Abailar-
 di,

di, nihil credendum est, quod excedat nostri intellectus virtutem: unde certum est nos teneri multa credere, quamvis excedant captum nostri intellectus, uti sunt mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis, &c.

§. 2. Inter propos. ab *Inn. XI.* damnatas hæc est 19. voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium: ex qua damnatione colliguntur sequentia, 1. Voluntas in rebus invidentibus habet quoddam imperium politicum in intellectum, sive, habet vim inclinandi illum & determinandi ad unam partem præ altera, non obstante ratione in oppositum. 2. Cum assensus fidei sit invidens, ad illum prærequiritur pia motio voluntatis inclinantis intellectum ad assensum, nam motiva de se obscura non necessitant intellectum, ergo debet voluntas intellectum applicare potius ad assensum quam ad suspensionem assensus; & per hoc etiam habetur libertas fidei. 3. Quò voluntas magis inclinat, tantò firmius assentitur intellectus, etiamsi motiva ex parte intellectus, non sint majora, uti pluribus evincit *Carden.* in 1. crisi d. 13. & l. 1. à n. 398. & 414. satis explicavimus. 4. Ad actum fidei non sufficit, quòd voluntas non repugnet, sed requiritur imperium positivum, cum enim repugnantia sit semper æqualis, & relinquat intellectum æqualiter indeterminatum, si non adveniret positivum imperium, voluntas nunquam faceret, ut assensus esset jam magis jam minus firmus, uti rectè expendit *Carden.* c. 3. 5. Certum est voluntatem posse facere, ut assensus

fidei sit in se firmior, quàm mereatur motiva credibilitatis impellentia ad iudicium de honestate & necessitate fidei, de illis enim solis motivis videtur explicanda propositio damnata, uti rectè *711*. t. 3. n. 7. nam motivum ipsiusmet fidei est semper dignum summâ firmitate assensûs.

5 §. 3. Prop. 20. ab eodem *Inn. XI.* damnata est hæc, *hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat, supernaturalem*: ex qua damnatione constat, quòd is, qui ex rationibus sufficientibus habuit assensum supernaturalem fidei, non possit pro libitu suo repudiare illum, sed teneri credere, quamdiu manet pondus illarum rationum. Per hoc tamen non damnatur sententia eorum, qui dicunt hominem infidelem, cui religio catholica proponitur ut probabilior, si statim adhibeat debitam diligentiam ad assequendam certitudinem, posse suspendere assensum, donec assequatur illam, uti rectè *Carden. c. 4.* cum enim assensus fidei debeat esse, non tantum certus, sed etiam firmus super omnia, nemo potest obligari ad eum eliciendum, donec habeat ea motiva, quæ apta sint inducere eam certitudinem & firmitatem. Nec damnatur sententia illorum, qui dicunt, si motiva pro fide nostra definerent alicui esse probabilia, & è contrâ motiva pro errore opposito fierent moraliter certa, idque invincibiliter, posse talem hominem ad tempus suspendere assensum fidei, donec iterum comperisset veritatem, nam hæc prop. damnata est illativa, uti constat ex particula, *hinc*, estque veluti conclusio deducta ex prop. 19. antecedente, ita ut dicat posse pro libitu voluntatis repudiari assensum fidei, quando habitus est, & illum adhuc

adhuc meretur pondus rationum ad eum impellentium, quod falsum est: in altero autem casu pondus rationum non amplius mereretur assensum, quia probabilitas earum esset elisa per motiva in oppositum moraliter certa, uti supponitur.

§. 4. Prop. 21. ab eodem *Inn. XI. damnata* 6
est hæc, *assensus fidei supernaturalis & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imò cum formidine, quæ quis formidet, an sit locutus Deus: ex qua damnatione sequentia deducuntur, 1. ad actum fidei supernaturalem necessarium est, ut credens sit certus, quòd Deus revelarit hoc, quod ipse credit; non videtur tamen opus esse, ut ea certitudo oriatur ex argumentis, alioquin homines rudes & pueri vix unquam credere possent, cum non capiant illam evidentiam argumentorum, quæ sunt pro credibilitate mysteriorum revalorum: itaque sufficet certitudo, siue oriatur ex argumentis pro fide ipsa, siue oriatur ex lumine supernaturali seu illustratione Dei, quæ sequitur post cognitionem probabilem revelationis, & à Deo datur ante omnem actum fidei, tollitque omnem formidinem de opposito, uti rectè *Carden. D. 14. C. 3.* vide tamen dicenda à n. 43. 2. Propositiones, quæ tantum probabiliter continentur sub aliqua universali revelata, non possunt credi fide divinâ, v. g. hæc universalis est revelata, *omnis fidelis, qui rite absolvitur à peccatis suis, consequitur Dei gratiam; illa autem particularis siue singularis, ego fidelis, qui rite sum absolutus à peccatis meis, sum consecutus gratiam, non potest credi fide divinâ, quia tantum probabile est me esse rite absolutum, neque de**

eo potest haberi sufficiens certitudo, ergo prudenter non possum mihi de eo imperare assensum fidei super omnia firmum: similiter non possum per actum omnimodè absolutum credere hanc determinatè hostiam esse consecratam, quamvis enim hæc universalis sit revelata, *Christus est præsens sub omni hostia rite consecrata*, tamen probabile tantùm est hanc determinatè hostiam esse rite consecratam, posset enim, qui consecrare debuit, non habuisse intentionem, omis-
 se verbum aliquod, non esse rite baptizatus vel ordinatus &c. nos autem credimus hanc determinatè hostiam esse consecratam sub conditione implicita, si adfuerint necessaria: aliquis tamen imprudenter faceret, si ad hanc conditionem se reflecteret, quando vult de hoc elicere actum fidei, multò minùs debet de eo cogitare, quando adorat hostiam, nam adoratio fieri debet absolutè, supponit enim duos actus, nempe actum fidei, qui implicite includit eam conditionem, & actum prudentiæ, qui dicat non posse hic & nunc dubitari de vera consecratione, cum non occurrat prudens motivum dubitandi, adeoque jam intelligitur purificata illa conditio, & ideo adoratio procedit absolutè & sine conditione, uti rectè *Carden. C. 2. 3.* Ille non est martyr, qui moritur pro aliqua veritate, quam tantùm probabiliter judicat esse de fide, uti pluribus ostendit *Carden. à n. 82.* Si autem moraliter certum sit, quòd aliqua propositio particularis contineatur in universali revelata, poterit illa particularis credi, v. g. hæc est universalis revelata, *Omne Concilium legitime congregatum est infal-
 libile in materia fidei & morum*; sumus autem mo-
 raliter

raliter certi, quòd Concilium Tridentinum legitime fuerit congregatum, ideoque credere possumus & debemus esse infallibile: illa autem moralis certitudo debet esse talis, ut necessario & semper excludat omnem prudentem formidinem de opposito, ideoque debet velut certum supponi, quòd illa particularis contineatur in uniuersali. Quòd si aliqui A A dicant aliquid esse de fide, alii hoc negent, uti multi docent esse de fide, quòd hic *Clemens XI.* sit verus Papa, alii autem negant id esse de fide, putat *Carden. C. 5.* hoc credi posse ab illis, qui hoc asserunt; è contra *Lugo* probabilius dicit tale objectum non posse credi, quia cum sententia illa affirmante stat iudicium de probabilitate alterius sententiæ, adeoque de opposito est formido, quæ excludit fidem: hinc itaque A.A. tantum dicunt probabile esse, quòd illud objectum spectet ad fidem, sed non ideo debent vel possunt illud credere. 4. Sententia illa, quæ docet in eodem intellectu posse simul stare fidem, opinionem & scientiam, non est ideo damnata, uti malè infert *Hozes*, falsum enim est, quòd formido actualis semper adsit opinioni, uti suppono ex philosophia.

§. 5. Prop. 22. ab eodem *Innoc. XI.* damnata 7 est hæc, non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate mediæ, non autem explicita remuneratoris. Ex qua damnatione constat, de necessitate mediæ ad salutem etiam requiri fidem de eo, quòd Deus sit retributor bonorum & malorum, uti n. 19. dicitur, hinc absolutè rejici debet *Filguera*, apud *Carden. d. 15. c. 5.* dicens posse justificari & saluari hominem, quamvis nihil cogitet de Deo ut remuneratore, dummodo cum amet super
A §
omnia,

omnia, eò quòd fides virtualiter contineatur in charitate tanquam in forma perfectiore & eminentiore; nam ex consensu SS. PP. & Theologorum prærequiritur actus formalis fidei de Deo ut remuneratore, uti ostendetur n. 23. & 24. ergo sententia illa sustineri non potest, nam secundum illam non esset opus unquam præcessisse ullum actum fidei, nequidem de existencia Dei: Controvertunt tamen adhuc aliqui, an necessaria sit fides Dei ut remuneratoris supernaturalis, nam *Hurt.* d. 43. s. 7. citans alios, putat sufficere fidem remuneratoris, abstrahendo à naturali & supernaturali, sed communiùs tenent alii cum *Mauro* q. 142. n. 11. & *Esp.* q. 128. requiri fidem de remuneratione in se & specificativè supernaturali, quamvis per fidem non attingatur signatè ut supernaturalis, idque rectè probat *Lugo* D. 12. N. 131. quia debet cognosci Deum esse remuneratorem per vitam æternam in cœlo, cum Deus hanc solam de facto revelaverit & promiserit, illa autem est supernaturalis, ergo.

§. 6. Prop. 23. ab eodem *Innoc. XI.* damnata est hæc, *fides latè dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad justificationem sufficit*: Circa quam damnationem, *Notandum est*, AA. aliquos dividere fidem, in strictè & latè dictam; fidem strictè vocant, si sit assensus ad objectum revelatum ex motivo authoritatis Dei revelantis & propriè loquentis; fidem latè vocant, quamcumque cognitionem supernaturalem objecti credendi, ex quocumque tandem motivo eliciatur, aut saltem si eliciatur ex motivo à creaturis desumpto, in quantum Deus per eas dici potest aliquo modo &

& improprie nobis loqui, uti fuse explicat *Lug.* D. 12. N. 9. hoc supposito, certum est ex ista damnatione, ad justificationem requiri actum conceptum ex motivo formali fidei Theologicæ, quod est autoritas Dei dicentis, & de hoc plura N. 23.

§. 7. Prop. 64. ab eodem *Innoc. XI.* damnata est hæc, *absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis & Incarnationis Domini nostri Iesu Christi.* Hac damnatione non obstante certum est, quod ille sit capax absolutionis, qui ignorat aliqua mysteria fidei, multa enim sunt, ad quæ explicite credenda non tenemur, uti quod Christus fuerit sepultus in sepulchro novo; aut licet teneamur credere, non tamen semper tenemur in ordine ad absolutionem: quænam autem teneamur credere ante absolutionem sacramentalem, dicitur N. 19.

§. 8. Prop. 65. ab eodem *Innoc. XI.* damnata est hæc, *sufficit illa mysteria semel credidisse.* Ex hac damnatione constat, non sufficere ad præceptum divinum implendum, si semel circa illa elicuerimus actum fidei, nam tenemur sæpius, uti rectè *Carden. D. 42. C. 2.* quoties autem & quando, dicitur ad C. sequens: De aliis propositionibus damnatis dicitur in qq. seqq.

Q. 3. *An fides omni planè homini sit ad salutem necessaria necessitate mediæ.* R. Ita necessariam esse omni adulto ratione utenti, uti habet communis cum *S. Thom. 2. 2. q. 2. a. 3. Valen. D. 1. q. 2. p. 2. Ovied. Contro. 7. p. 2. Lug. D. 12. S. 1.* sic enim 1. ad *Corint. 1. v. 21.* dicitur, *placuit*

eius

auit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere er-
 dentes : Semper autem ita fuisse necessariam,
 inde probatur, quia omnibus in peccato etiam
 originali tantum existentibus necessaria est ad
 salutem necessitate mediæ justificationis, sed ad
 justificationem hominis adulti ratione utentis
 prærequiritur fides, uti ostendetur à n. 14. ergo.
 Dixi 1. adulto, nam puer baptizatus salvatur sine
 fide actuali, uti Catholici omnes tenent contra
 Lutherum & sequaces : imò probabilius tenent
 Suar. D. 12. sect. 2. n. 10. Lug. n. 3. Pennaf. D. 8. n. 2.
 quod puer baptizatus, si statim moriatur post
 acquisitum usum rationis, antequam audierit
 de rebus credendis, sit salvandus sine actuali fide,
 quia est in gratia, & non moritur ut adultus, cum
 moraliter respectu credendorum sit adhuc puer:
 imò Merat. D. 9. S. 1. & Platel. n. 219. videntur
 adhuc plus velle, nam dicunt absolutè, si homo
 talis moriatur in gratia, salvandum, neque ad-
 dunt, an statim an diu post moriatur, & videtur
 idem sentire. Ovie. n. 15. Maurus q. 141. n. 11.
 licet Grana. t. 10. D. 1. n. 9. Tann. alique cum
 Bassco in floribus t. 1. v. fides n. 5. dicant ejus-
 modi puerum, quamvis statim moriatur, non
 salvandum, & spectare ad Dei providentiam
 facere de eo, quod volet. Dixi 2. ratione uten-
 ti, nam perpetuò fatui possunt sicuti infantes
 per baptismum justificari sine fide actuali, &
 re ipsa hi non censentur adulti.

2 Obj. 1. Homo baptizatus, etiamsi diu in gra-
 tia vivat post annos discretionis nec eliciat fi-
 dem, si moriatur in gratia, est amicus & filius
 adoptivus Dei, ergo debetur illi regnum & hæ-
 reditas, adeoque salvabitur. R. Moritur amicus
 Dei,

Dei, sed non debetur omni amico hæreditas, ut patet: deinde moritur filius adoptivus, ideoque habens jus in actu primo & inchoatum ad hæreditatem, sed non completum, sic enim, licet quis sit filius naturalis, potest adhuc ob causas excludi hæreditate. Breviter sic distingui potest, filius habet jus ad hæreditatem, si sit naturalis, transeat, si sit adoptatus, subd. habet jus, si ponatur conditio, sub qua promissa est hæreditas, C. si hæc non ponatur, N. conditio autem est fides actualis. *Inst.* Durum nimis est, hominem in gratia constitutum non salvari defectu solius fidei actualis, si de fide nihil audiverit. *R. 1.* Neque casum eventurum in hac providentia: tamen *R. 2.* Si vivat secundum legem naturæ, faciatque, quod in se est, Deus non deerit, qui per hominem aut saltem per Angelum proponet credenda; uti habet *S. Th.* de verit. q. 14. a. 11. ad 1. Et de hoc mira divinæ providentiæ exempla leguntur; potestque videri *Gonz. D. 6. n. 46. & 91.* Unde nec talis instructio dici debet strictè miraculum, quia hanc exigent leges ordinariæ providentiæ Dei, volentis omnibus dare auxilia sufficientia, uti rectè *Suar. Vas. Arriag. Valen. Ruiz apud Ripald. D. 17. n. 191.* cum *Gon.* supra.

Obji. 2. Quod est necessarium necessitate mediæ, debet influere in primam gratiam, uti fuisse disputant *Lug. de Euch. D. 3. S. 1. & Dicast. de bapt. D. 1. Dub. 10.* atqui fides actualis non est aliquid influens in primam gratiam hominis baptizati, nam præsupponitur eam habere, ergo talis fides actualis non est medium necessarium ad salutem. *R. N. maj.* potest enim aliquid esse necessarium, quia Deus ex alio fine requisivit,

v. g.

v. g. ut agnoscatur modo debito tanquam existens & remunerator &c.

14 Q. 4. An & qualis fides de necessitate mediæ præquiratur ad justificationem; item ad meritum aliosque actus supernaturales. R. Quod dicemus de fide, valet cum proportione de spe, uti patebit ex seqq.

§. 1. Aliquam fidem præquiri ad justificationem, est certissimum, nam ad *Hebr.* 11. v. 6. dicitur, *sine fide autem impossibile est placere Deo: ad Galat. 2. ex operibus legis non justificatur omnis, sed per fidem: Idem constat ex omnibus locis scripturæ, quibus significatur, quod fides disponat ad justitiam: hinc Trident. sess. 6. c. 7. loquens de fide, ait, sine qua nulli unquam contigit justificatio: similia habent Conc. Araus. & Milev. apud Valent. d. 1. q. 2. p. 1. In eum sensum dicit S. August. Serm. 38. de temp. fides est humanæ salutis initium; sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest pervenire, quia sine ipsa nec in hoc seculo quisquam justificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam æternam possidebit. Similiter loquuntur SS. Irenæ. Basil. Ambr. Leo apud Valen. p. 2.*

15 §. 2. Non sufficit fides in voto, sed requiritur fides in re, uti patebit ex dicendis. *Nec obstat, quod sufficiat baptismus in voto, nam de baptismo scimus aliunde, cum scriptura dicat prov. 8. diligentes me diligo, &c. ex quo colligunt SS. PP. ad salutem sufficere Votum baptismi inclusum in dilectione Dei, quando baptismus in re suscipi non potest: Similiter Trident. sess. 6. C. 4. expressè dicit, sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non posse primam justificationem, nihil autem simile legitur de voto fidei; & diversitatem colligit S. Bernard. Epist. 77. ex verbis Christi*

Christi *Marci* ultimo, qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur; ubi cùm statuta esset necessitas fidei & baptisimi, postea non dicitur, qui non fuerit baptizatus, condemnabitur, sed tantùm dicitur, qui non crediderit: & congruentias affert *Suar. D. 12. S. 2. à n. 10.* quarum præcipua est, quia contritio vel amor supernaturalis causat gratiam, ergo supplet causalitatem baptisimi: è contrà in homine nulla datur cognitio supernaturalis, quæ suppleat agnitionem certam & supernaturalem objectorum credendorum, Dei existentis & remuneratoris, unde patet respectu adulti majorem esse necessitatem fidei in se, quàm baptisimi in se.

§. 3. Non sufficit fides habitualis, idest, 16
 mel habita & non retractata, sed requiritur vel formalis vel virtualis, uti postea dicitur: Per hoc autem distinguitur virtualis à formali, quòd formalis sit actus præsens fidei perceptibiliter tendens in objectum materiale propter formale, uti si advertenter dicam, credo Deum esse Trinum, quia Deus dixit, qui est infinitè sapiens & verax. Virtualis est, si quis aliquando habuerit explicitam fidem circa mysteria credenda, illamque adhuc ita retineat, ut permaneat in aliquo saltem suo effectu. Rem explicat *S. Th. de charit. q. un. a. 11. ad 2.* exemplo medici, qui colligit herbas ad faciendam potionem, licet de sanitate, ad quam colligit, fortè non cogitet, aut non advertat se cogitare: & *1. 2. q. 1. a. 6. ad 3.* exemplo itinerantis, qui pergit, quòd tendit, licet de eo loco non semper expressè cogitet: idem explicat *Carden. d. 15. à n. 32.* in exemplo spei,

spei,

spei, nam agricola arat, seminat, occat, non ideo semper expressè memor fructuum, ob quos habendos ista facit, nihilominus cùm aliquando habuerit spem illam, & ex ea motus fuerit ad colendum agrum, quamvis postea, quando ista facit, non amplius ita cogitet de hac spe, tamen habet illam virtualiter, alioquin non faceret ista; in hoc autem consistit illa virtualis spes, quòd illa seminatio sit effectus imperatus & causatus ab illa spe fructuum, unde spes illa dicitur virtualiter permanere in effectum illo, nempe in seminatione: Idem explicat *Carden. D. 16. n. 54.* exemplo philosophi, qui tenet conclusionem, quam didicit, licet actu expressè non recordetur fundamenti, propter quod ad illam est inductus. Manet autem controversum, quid reipsa sit talis virtualis fides: aliqui dicunt esse effectum à fide actuali causatum, distinctum ab omni actu fidei in se, & permanentem in serie actionum à fide illa præterita trahentium originem: alii probabilius dicunt esse aliquem fidei actum, sed tenuem & imperceptibilem, quales actus certum est nos sæpe habere, nam qui ex usu facillimè ludic Cytharâ, habet actus imperceptibiles & regulas in mente, quibus lusus ille dirigitur; item qui expeditè loquitur latinè, dirigitur actu regulis, quas olim didicit, licet nunc ad eas expressè non attendat, nec advertat vel percipiat se illas in mente sua habere: & in hac sententia fides actualis dividitur in formalem & virtualem, sicque omnis fides virtualis est reipsa actualis, cùm sit actus fidei, qui quia non est ita perceptibilis, & sequitur ad alium priorem magis expressum & perceptibilem, dicitur tantùm virtualis, seu in virtute permanens.

§. 4. Certum est ad justificationem hominis, 17
 qui vel nunquam habuit actum fidei, vel fidem
 amisit per peccatum oppositum, prærequiri a-
 ctualem fidem, uti latè ex scriptura PP. & ratio-
 ne demonstrat *Carden. d. 15. c. 2. & d. 16. c. 5. &*
6. talis enim homo nullam habet fidem, nequi-
 dem habitualiter, cum eam vel nunquam ha-
 buerit, vel abjecerit, sine fide autem impossi-
 bile est placere Deo vel ad Deum accedere.

§. 5. Non tantum ad primam justificationem 18
 in baptismo, sed etiam ad quamvis aliam justifi-
 cationem in Sacramento pœnitentiæ vel vi con-
 tritionis obtinendam prærequiritur fides saltem
 virtualis secundum dicenda n. 25. Ita docent
Trident. Sess. 6. c. 6. & 7. ubi postquam explicasset
 necessitatem fidei ad primam justificationem, c.
 8. explicans in genere, quomodo impius per fi-
 dem dicatur justificari, dicit ideo esse, quia fides
 est *humane salutis initium, fundamentum & radix*
omnis justificationis, sine qua impossibile est placere
Deo & ad filiorum ejus consortium pervenire.

Catech. Rom. de Sacram. pœn. c. 1. n. 3. in eo,
quem pœnitet, fides pœnitentiam antecedit necesse est :
 & subdit docens quibus viis ad virtutem pœni-
 tentiæ perveniatur, *primùm itaque Dei misericordia*
nos prævenit, &c. deinde hoc lumine illustrati, per fi-
dem ad Deum animo tendimus &c.

S. Ambr. de pœn. l. 1. c. 1. nemo enim potest bene
agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam :
 certum autem est fidem prærequiri ante spem,
 uti postea dicitur.

S. Th. in 4. d. 14. q. 1. a. 2. ad q. 2. motum pœ-
nitentiæ præcedit motus fidei, quia accedentem ad De-
um oportet credere, ad Hebr. 11. & iterum motus spei

conjunctus motui timoris , per quem fit aestimatio de
possibilitate veniæ consequendæ.

Clerus Gallicanus in Gener. Conventu in Pala-
tio San-Germano anno 1700. die 4. Sept. in de-
claratione de dilectione Dei in Sacram. pœn. ne
quis putet in utroque Sacramento (baptismi & pœ-
nitentiæ) securum se esse , si præter fidei & spei actus
non incipiat diligere Deum tanquam omnis justitiæ
fontem.

Suarez de gratia l. 8. c. 15. n. 1. Supponimus pri-
mam dispositionem ad justitiam esse actum fidei. N. 3.
Dicendum est illam fidem , quæ est justitiæ fundamen-
tum , esse fidem intellectûs , idest , assensum firmum in
revelatione divina fundatum. N. 7. Dicendum est hanc
fidem intellectûs esse primam dispositionem ad justitiam.
C. 18. n. 2. certum est præter fidem necessarium esse ac-
tum spei , ut impius ad suam justificationem dispona-
tur. Rationem dat n. 3. quia justificatio & indulgen-
tia peccatorum non est humanum opus , quod viribus ho-
minis fieri aut comparari possit , sed à Deo est expectan-
dum juxta promissa ipsius , ergo non potest convenienter
conari ad remissionem peccatorum obtinendam , nisi
firmiter speret illam esse obtenturum &c. C. 19. n. 6.
dico ergo neminem posse moveri ad agendam etiam im-
perfectam pœnitentiam & cum Sacramento sufficien-
tem , nisi prius de venia obtinenda cogitet & illam spe-
ret.

Vasquez in 3. p. q. 85. a. 5. d. 2. n. 14. loquens
de virtute pœnitentiæ , semper incipit à fide & spe ,
respicitque Christi merita , quibus credit & sperat hanc
faciendam esse compensationem peccati.

Ruiz de provid. d. 19. l. 3. n. 6. fides est initium
totius dispositionis ad justificationem. Probat n. 8.
quoniam ante fidem nihil supernaturale reperiri potest
nisi

nisi gratia vocans & excitans ad fidem, & quidquid naturale reperitur, nihil valet, ut ad justificationem disponat. D. 24. s. 2. n. 6. quælibet pœnitentia utilis, sive inchoata sive perfecta, supponit fidem supernaturalem. N. 10. ex supernaturali fide procedere debent quæcumque opera misericordiæ, ut peccatoribus obtinere valeant gratiam & remissionem mortalium peccatorum. N. 17. Opera misericordiæ utilia ad justificationem sunt per se indigentia supernaturali auxilio & per se supponunt fidem. S. 3. n. 9. loquens de Cornelio centurione, latrone, Zachæo &c. divinâ gratiâ præveniente & adjuvante conceperunt prius fidem, deinde verò virtute gratiæ atque fidei orabant, donabant elemosynas & cætera opera pietatis exercebant, quæ nihil valerent ad justificationem, nisi procederent ex illa radice.

Turrianus de gratia opusc. 4. d. 2. d. 1. communis sensus est ad justificationem esse necessarium actum fidei, & non sufficere solam legis notitiam, ut probavi 2. 2. tom. 1. d. 25. & docuit S. Th. 1. 2. q. 113. a. 4. ad 2. An verò iste actus sit necessarius necessitate mediæ vel præcepti, explicari in ea disp. dub. 2. ubi probavi esse necessarium aliquem actum fidei necessitate mediæ, si justificandus est adultus. Disp. 3. d. 1. certum est actum spei esse necessarium ad justificationem, uti definit Trid. Sess. 6. c. 6. & ratio est, quia qui considerat sua peccata & credit esse digna pœnâ, nisi speraret divinam misericordiam, non moveretur ad justificationem, ut bene explicuit P. Vasquez 1. 2. d. 210. c. 2. In 2. 2. tom. 1. d. 41. d. 5. quòd verò fides dicitur initium omnis justificationis, de omni justificatione adultorum intelligendum est: cujus rationem dat n. 8. quia spes non posset esse firma & certa, nisi cognitionem aliquam, certam supponat, non est autem certa cognitio naturalis ordinis,

ut requiritur ad spem supernaturalem, ad quam tamen idonea est fides, & eadem ratione probatur fidem esse priorem ordine generationis aliis virtutibus supernaturalibus. Lugo d. 12. n. 44. sequitur esse obligationem eliciendi fidei actum, quando homo vult se ad justificationem in Sacramento comparandam preparare, quia debet praemittere detestationem absolutam & efficacem suorum peccatorum, ad quam debet praecedere actus fidei. Castrop. tr. 4. d. 1. p. 10. §. 8. n. 3. Ratio, quare hic actus fidei necessarius sit ad justificationem, est, quod nemini adulto & ratione utenti contigit justificatio, nisi justificationem speret & de peccatis doleat &c.

Dicaftillo de poen. d. 6. n. 17. poenitentia utilis ad justificationem debet esse fundata in fide, nec enim est vera poenitentia, id est, verè disponens ad justificationem, nisi quæ fundatur in fide, & quæ ex fide procedit, juxta Auctorem, qui habetur apud Aug. de vera & falsa poen. c. 2., nam actus, qui ex fonte fidei non procedit, non potest placere Deo ad supernaturalem finem justificationis, ut docet verus Aug. l. 4. contra Julianum c. 18. in fine, & in simili S. Leo serm. 7. de jejunio, nulla autem ratio est, ob quam poenitentia, quæ disponit ad justificationem, fundari debeat in fide & ex fide procedere, nisi quia effici debeat ex aliquo motivo supernaturali transcendente limites rationis naturalis, ex quo motivo voluntas operari non potest nisi per fidem.

Esparza de poenit. q. 80. a. 2. certum est actum poenitentiae non esse primum tempore, quia necessarii illum praecedunt actus fidei & spei, ex quibus dependet.

Hiquæus ad Scotum in 4. d. 14. q. 2. n. 110. nullus movetur ad poenitentiam, nisi ex regula fidei & dilectione, neque ad poenitentiam inclinatur voluntas, nisi

nisi ex fiducia divinæ misericordiæ & remissionis peccati.

Elizalde in doct. morum l. 7. q. 9. §. 2. in fine; ergo sine hac fide nullus justificatur peccator. Q. 11. §. 8. loquens de fide ait, sine qua nulla est possibilis vera penitentia & justificatio.

Maurus de justif. q. 81. n. 24. non possumus efficaciter & absolute nos velle dare Deo ut amicos perpetuos, nisi ex fide, quâ credamus Deum offerre ac promittere suam amicitiam, adeoque remissionem peccati.

Rhodes d. 2. q. 3. l. 4. §. 1. Dico 1. Fidem supernaturalem & propriam ita esse necessariam necessitate mediæ ad justificationem & salutem, ut sine aliquo interno eius actu nemo iustificari unquam aut salvari possit.

Herinx D. 7. n. 77. per accidens obligatur quis ad actum fidei eliciendum, dum instar præceptum, quod sine fide impleri non potest, puta dilectionis, contritionis vel attritionis, qui actus sine directione actuali fidei elici non possunt.

Todtfeller q. 57. §. 4. Radix omnis iustificationis est fides. Platelius de Sacram. n. 727. loquens de Sacramento penitentia, sine actibus fidei & spei stare nequit hoc Sacramentum, eò quod sine illis haberi non possit supernaturalitas & efficacia doloris ac propositi ad huius Sacramenti substantiam essentialiter requisita.

Stozl. 1. p. 2. n. 19. ad veram contritionem, prout præscindit à perfecta & imperfecta, necessario præsupponuntur actus fidei & spei de venia peccatorum per merita Christi à Deo obtinenda.

Gormaz de pæn. p. 1. n. 343. actus fidei & spei sunt dispositiones à Deo destinatae in hac providentia pro

adulti iustificatione in quocumque casu. Eadem repetit p. 2. n. 300.

Gobat in Exp. t. 7. n. 621. loquens de pœnitente moribundo, potuere adesse supernaturales actus sp̄ei, dilectionis, contritionis, fundati in ea fide.

Taberna p. 1. tr. 5. c. 2. aliqua fides actualis necessaria est necessitate mediæ ad iustitiam recuperandam.

Illung de Sacram. in genere, n. 49. dispositio ad suscipienda Sacramenta mortuorum cum effectu gratiæ ab ipsis causandæ, in adultis necessaria, sunt actus fidei, sp̄ei, propositi &c. ita communis & certa Theologorum sententia: probatur ex Trid. Sess. 6. c. 6. ubi enumeratis actus pro dispositione ad baptismum expressè requirit; & Sess. 14. c. 4. ubi eosdem actus exigat ad Sacramentum pœnitentiæ, utrobique allegans testimonia scripturæ. Non est operæ pretium plures referre, nullum enim puto esse, qui in re dissentiat.

Ratio jam sæpe insinuata est, quia ut dolor sufficiat ad pœnitentiam, & consequenter ad iustificationem, debet esse supernaturalis, uti certum est, & probabitur l. 6. t. 4. c. 1. ad dub. 2. non erit autem supernaturalis, nisi præcedat fides & spes, uti habent Auctores citati, & Conf. nam dolor, qui ad iustificationem requiritur, est vel contritio vel attritio, sed ad utramque prærequiruntur fides & spes: in primis ad contritionem, nam fides & spes, inquit S. Th. 1. 2. q. 65. a. 5. ad 2. secundum propriam rationem præsupponuntur ad charitatem, & consequenter ad contritionem, ideoque etiam Suar. de gr. l. 1. c. 35. n. 24. docet amorem supernaturalem indigere per fidem & spem proprio principio supernaturali physicè adjuvante potentiam: neque fieri potest
mora-

moraliter, ut voluntas in hac natura corrupta immediatè assurgat ad perfectum amorem, qualis est contritio, nisi priùs erigatur per spem supernaturalem, uti rectè *S. Th.* suprà *O. Suar.* de gr. l. 8. c. 19. n. 6. *Lugo* d. 12. n. 110. *Palau.* de pœn. n. 101. *Maurus* de justif. q. 81. n. 24. spes autem, uti & charitas, ratione suâ supponit fidem, quæ certò & proportionatè proponat objecta supernaturaliter speranda & amanda, uti de spe ostendunt *Con. d.* 14. n. 107. & *Esq.* q. 32. de utraque autem habet *S. Th.* 2. 2. q. 4. a. 7. naturalis cognitio non potest attingere ad Deum, secundum quod est objectum beatitudinis, prout tendit in ipsum spes & charitas. Deinde actus fidei & spei etiam prærequiruntur ad attritionem, uti expresse *Maurus* q. 243. n. 29. nam attritio, ordinariè saltem prout elicitur à rudioribus, est, aut fundatur in spe præmii, aut in metu pœnæ, qui etiam ad spem pertinet: & universaliter de omni attritione, etiam de illa, quæ concipitur ex consideratione turpitudinis peccati, dicit *Trident.* sess. 14. c. 4. posse esse supernaturalem & disporre ad gratiam in Sacramento, si sit cum spe veniæ, spes autem supponit fidem, uti dictum est, ergo.

§. 6. Ad attritionem supernaturalem, prout ordinariè elicitur ex spe præmii vel ex metu pœnæ, necessarium est, ut priùs per fidem supernaturalem cognoscamus hæc objecta, 1. Deum esse, à quo speratur præmium vel timetur pœna. 2. Deum esse remuneratorem bonorum per præmia, & punitorem malorum per pœnas: & hæc duo constant ex *Apost.* ad *Hebr.* 11. v. 6. & ex dictis n. 18. 3. Animam nostram esse immortalem, uti habent

Suar. hîc d. 12. f. 3. n. 19. *Con.* n. 122. *Lugo* n. 125. anima enim nostra est, cui pro altera vita debet sperari præmium vel timeri pœna. 4. *Gratiam Dei esse necessariam ad salutem*, uti rectè *Con.* n. 123. nam speratur, adeoque credi debet remuneratio supernaturalis, uti rectè *Suar.* n. 8. & 11. *Con.* n. 106. aliique apud *Lugo* n. 127. q. n. 131. consentit: hinc etiam *Gran.* tr. 10. d. 2. n. 4. ad justificationem requirit fidem Dei ut Auctoris supernaturalis, quod etiam volunt *Cajet.* & *Canus* apud *Lugo* n. 123. Et ratio ulterior est, quia voluntas non posset erigi ad spem veniæ & salutis firmam super omnia, nisi præiret certa cognitio gratiarum ex meritis Christi, sine quibus nihil possumus conducens ad salutem, uti rectè *Con.* & in re consentit *Suar.* n. 19. ideoque etiam *Trid.* sess. 6. c. 6. dicit impium credere se justificari per gratiam & redemptionem, quæ est in Christo: consequenter, 5. Credere debet Christum, sive, per fidem cognoscere aliquam è SS. Trinitate personam esse pro nobis factam hominem, quod vult *S. Th.* 3. p. q. 70. a. 4. O. dicens usque adeo in Circumcisione datam esse gratiam ex virtute fidei passionis Christi; & q. 85. a. 3. ad 4. dicit pœnitentiam esse cum fide passionis Christi: similiter *Bellarmin.* de pœn. l. 1. c. 2. dicit justificationē fieri cum fide meritorum Christi: *Vasq.* supra ait, *fides illa semper respicit Christi merita, quibus credit & sperat*: *Con.* n. 163. requirit fidem Christi ut Salvatoris: *Stoz* relatus n. 18. requirit fidem & spem de venia peccatorum per merita Christi: *Sasbout* hom. in Dominic. 2. quadrag. pag. 150. ait, quosdam semper accuratissime confiteri, & tamen nunquam ad confessionis fru-

fructum pertingere, quia, quod precipuum est, negligunt, nimirum fidem in Christum, quam diximus complecti & certam persuasionem de misericordia Salvatoris & fiduciam de impetranda misericordia. Putat tamen *Suar.* f. 4. n. 11. per solam fidem Dei ut remuneratoris supernaturalis posse sufficienter dari justificationem cum ignorantia invincibili Christi; quod verum est spectatâ naturâ rei, quid autem Deus circa hoc statuerit, est incertum, nam sicuti voluit Christum esse unicum Justificatorem, ita pro illius gloria potuit fidem de illo prærequirere ad justificationem, & reipsa præquisivisse docent Auctores citati. 6. Per eandem fidem cognosci debet objectum spei materiale & formale, scilicet promissa esse illa præmia, quæ speramus à Deo fidelissimo & potentissimo servare sua promissa; item intentatas esse pœnas illas, quas timemus à Deo justissimo vindice.

Ratio horum omnium est, quia nisi ista omnia certò & proportionatè cognoscantur, voluntas non poterit erigi ad spem firmam vel ad metum efficacem & supernaturalem, consequenter nec ad attritionem supernaturalem ex tali spe vel metu, seclusâ autem fide supernaturali non potest dari cognitio illorum certa & proportionata, idest, supernaturalis, ergo. Et quod de ista attritione dictum est, applicandum est cum proportionem cuicumque dolori supernaturali ad justificationem requisito, ad quem necesse erit per fidem proponi illius ipsius doloris objecta: estque valde probabile, quòd voluntas in hac infirmitate naturæ corruptæ vix unquam immediatè emoveatur ad contritionem vel dolorem sufficientem, quin debeat excitari prius vel ju-

vari per spem præmii aut metum pœnæ , atque ita ad omnem dolorem , qui supernaturalis fit & sufficiat cum Sacramento , prærequiretur cognitio istorum objectorum per fidem , ad quam sequatur dicta spes vel metus.

- 20 §. 7. An , & quorum objectorum fides explicita requiratur ad justificationem , non potest ita facile definiri : *Malder. & Bonac. in Decal. d. 3. q. 2. p. 2. n. 9.* putarunt sufficere implicitam, quæ simul habetur cum actu doloris, sed non explicant, quid intelligant per fidem implicitam, nam in primis ex hæcenus dictis constat requiri fidem explicitam saltem de Deo existente & remuneratore, hinc *Ovied. controv. 7. n. 33.* ait, *in omni statu necessaria est fides explicita Dei, non solum ut existens sed etiam ut remuneratoris*; pro qua conclus. citat *Suar. Turr. Con. Gran. Tann. G. Hurt., Carden. d. 41. n. 11.* ait, *constat fidem explicitam Dei ut remuneratoris retributione æternâ, esse medium simpliciter necessarium ad justificationem*: infert, ergo qui ignorat, etiam invincibiliter, non est capax absolutionis: *Platelius n. 226.* licet credens Deum esse summè bonum, absolutè & physicè possit elicere actum supernaturalem amoris Dei super omnia, quamvis nesciat ipsum esse remuneratorem, atque ita justificari sine fide explicita Dei ut remuneratoris, id tamen non potest ex hypothesi præsentis providentiæ, quæ Deus statuit non dare auxilia ad actum proximè iustificativum, nisi mediante fide de Deo remuneratore: addit, moraliter fieri non posse in natura corrupta, ut sine spe eliciatur amor Dei, nulla autem potest esse spes, sine aliqua fide explicita Dei, ut remuneratoris. Deinde, si requiratur fides implicita, uti *Malder. & Bonac.* requirunt, hæc non potest

potest esse, nisi adsit aliqua explicita, in qua de aliis objectis habeatur implicita, uti qui explicitè credit, quidquid Deus dixit, credit implicitè omnia revelata, cum autem reliqua objecta fidei etiam occurrere debeant homini justificando, facilè aderit explicita, saltem virtualis, etiam aliorum objectorum.

Arriaga dicit sufficere saltem fidem implicitam de necessitate gratiæ, quam *Lugo* dicit sufficienter haberi per hoc, quod credat Deum esse supremum remuneratorem, à quo per gratiam ejus speremus salutem æternam: *Grat.* suprà dicit requiri fidem explicitam Dei ut Auctoris supernaturalis, quòd nempe sit bonum quoddam supremum, à quo provenire nobis debent beatitudo supernaturalis, remissio peccatorum & dona ad beatitudinem obtinendam necessaria: *Con. n. 123.* ait, *debet explicitè credere se non posse survivere à miseris erui, & æterna illa præmia consequi: Suar. f. 3. n. 19.* dicit requiri sufficientem fidem explicitam de necessitate gratiæ, quam tamen fidem dicit satis haberi per hoc, quòd credat in Deum ut justificatorem, nec requiri diversos de his conceptus: Addit, fidem de hoc ita explicitam, ut per distinctos conceptus habeatur, dici posse per se & regulariter, vel, ut alii loquuntur, in voto necessariam, non tamen semper in re & actualiter.

Bernal de Sacram. d. 2. n. 79. putat fidem expressam SS. Trinitatis pro lege veteri & nova fuisse ac esse necessariam; *Ovied. p. 3.* probat omnes etiam in lege veteri indiguisse justificatione per fidem in Christum: *Maurus n. 11.* requisivit explicitam Christi ut mediatoris; reliqui cum S.

Th.

Th. 2. 2. q. 2. a. 7. ad 3. communiter dicunt tum suffecisse implicitam : nunc autem in lege nova post promulgatum sufficienter evāgelium requirunt explicitam de Incarnatione & Trinitate S. Th. a. 7. & 8. Thomistæ communiū cum Gonet d. 6. n. 67. & alii gravissimi Auctores cum Mauro à n. 45. Carden. n. 3. Mendo in stat. d. 1. q. 1. & licet alii multi, etiam fortè probabilius, id negent, tamen ubi agitur de valore Sacramenti, sententia tutior est sequenda : & præscindendo ab hoc, certum videtur ex dictis, quòd requiratur talis fides, quæ sit, non qualiscumque cognitio illorum objectorum n. 19. relatorum, sed sufficiat ad emovendam voluntatem, ut actualiter erigatur ad spem firmam veniæ peccatorum & remunerationis à Deo obtinendæ : atque hoc volunt AA cum Lugo à n. 123. quando ad justificationem requirunt fidem de illis objectis explicitam.

21 §. 8. Etiam ad omnem actum bonum, sive de condigno sive de congruo meritorium præmii supernaturalis, prærequiritur fides : ita docent Concilia, SS. PP. & Auctores communissime.

Conc. Arausic. II. cap. ult. confitemur, quòd in omni opere bono nos non incipimus, sed ipse nullis nostris præcedentibus meritis prius fidem inspirat. PP. Concilii Milev. in Epist. ad Innoc. quæ apud August. est 95. dicunt, quòd gratia præveniens, ad omnem effectum supernaturalem necessaria, pertineat ad fidem : Trident. sess. 6. c. 7. vocat fidem initium salutis, per quod innuere videtur esse initium omnis actus ad salutem conducen-

S. Au-

S. August. de civit. l. 15. c. 20. non est opus bonum, nisi quod procedit ex fide summi Dei. *S. Ambr.* l. 6. in Lucam c. 7. misericordia præfertur fides, quia misericordia tunc habet meritum, si fide præcedente conferatur. *S. Gregor.* hom. 19. in Ezech. non virtutibus venit ad fidem, sed per fidem pertingitur ad virtutes. *S. Leo* l. 7. in quadrag. quod non ex fidei procedit fonte, ad premia æterna non pervenit. *S. Prosper* l. 1. de vocat. gent. c. 24. dicit fidem nullis præcedentibus meritis tribui, sed ad hoc donari, ut principium possit esse meritorum. Similia plura habent etiam alii PP. apud *Lugo* l. 2.

Suar. de gratia l. 1. c. 35. n. 24. docet amorem supernaturalem (idem est de actibus aliarum virtutum) per fidem & spem indigere proprio principio supernaturali physicè adjuvante potentiam ad illum eliciendum: L. 8. c. 15. n. 7. omnis bona operatio ab intellectu inchoari debet. *Ruiz* de provid. d. 19. f. 3. n. 9. fides est totius impetrationis initium: S. 4. n. 2. fides est initium meriti: hinc S. 5. in ipsis infidelibus requirit aliquam fidem inchoatam & imperfectam, quâ præeunte possint aliquid supernaturale velle circa fidem ipsam consequendam. D. 24. f. 1. n. 18. Oratio, nisi supernaturalem fidem supponat, nihil valet ad impetrandum. *Lugo* n. 46. omnia merita debent procedere ex fide, ut probant testimonia PP. adducta, qui videntur hoc ipsum sumpsisse ex modo loquendi sacre scriptura.

Est.

Ess. de pœn. q. 89. ad 4. actus fidei & spei sunt prerequisites ad actus reliquarum omnium virtutum. Platelius n. 223. ad omnem actum meritorium prerequisite fides stricta, & quidem supernaturalis, ut rectè Lugo & alii communissimè contra Vasquez volentem ad meritum de congruo sufficere cogitationem congruam ordinis naturalis, datam tamen ex meritis Christi. Hainoldus n. 396. dicendum cum cæteris Theologis ad omne opus meritorium supernaturale procedere donum fidei strictè sumptæ. Rhodes supra, ante fidem nullum omnino esse potest opus, etiam congruè, meritorium vel justificationis vel ipsius fidei: rationem jam dederat antè, his verbis, ad 3. R. non posse in nobis dari adhuc in via cognitionem ullam supernaturalem, quæ vel non sit dependens à fide, vel moraliter non faciat unum cum fide, idque constare omnino ex Conciliis & Scripturis. Terillus in Reg. morum q. 64. n. 75. quod autem dicitur gratiam non deesse, quæ bona opera evadant supernaturalia, admitti non debet nisi cum limitatione, scilicet quando opera illa per veram fidem supernaturalem regulantur, quia ordo gratiæ hoc postulat, ut bona opera supernaturalia per fidem supernaturalem regulentur. Carden. d. 16. n. 41. est vera sententia, quæ docet sine fide stricta neminem fidelem posse elicere actus supernaturales, antequam perveniat ad fidem strictam: N. 53. veram censeo sententiam Cardinalis de Lugo relati, quæ docet nullum opus meritorium vite æter-

ne fieri, nisi procedat ex dictamine fidei supernaturalis. Sporer in Dec. tr. 2. c. 2. n. 21. quodcumque homo tenetur exercere actum supernaturalem, v. g. spei, charitatis, Religionis &c. etiam tenetur habere actualem fidem. Fagnanus in Cap. firmiter de Sum. Trin. n. 16. actus virtutum dependet ab actu fidei, quæ intentionem dirigit. Plures AA. adducentur n. 22.

Ratio est, quia ad omnem actum supernaturalem, quo mereamur à Deo præmium supernaturale, prærequiritur cognitio, quæ certò cognoscatur Deus & finis supernaturalis, debetque cognitio illa esse supernaturalis, nam ex parte intellectus præcedere debet actus proportionatus, & qualis oportet ad salutem, qui dirigat voluntatem ad actum supernaturalem virtutum, uti fusè probat Oviedo de gratia controv. 6. p. 4. sed non potest assignari actus, nisi fidei, aut saltem fundatus in fide, per quam solam potest certò cognosci finis supernaturalis, ergo.

§. 9. An ejusmodi fides prærequiratur ad actum supernaturalem spei, doloris vel alterius virtutis, ex natura rei, an tantum ex ordinatione Dei in hac providentia, manet incertum: prærequiri ex sola ordinatione Dei tenent Ripalda d. 17. n. 205. G. Hurt. Oviedo hic controv. 7. n. 33. Con. d. 14. n. 108. Platel. n. 226. Herinx d. 7. n. 39. Rhod. suprà §. 2. nec dissentit Carden. d. 16. c. 4. E contra Lugo s. 5. Palav. aliique cum Turr. in select. p. 1. d. 18. dub. 1. & 2. dicunt prærequiri ex natura rei; sed hoc nihil facit ad præxim, cum omnes fateantur prærequiri de necessitate medii, uti rectè Carden. suprà.

§. 10. Fides, quam hæctenus requisivimus, ²³ debet

debet esse strictè dicta, secundùm explicationem datam n. 8. & colligitur ex prop. 23. ibidem relata. Hoc ipsum expressè tenent *Suar.* & *Rhod.* n. 18. relati, item *Plavel.* *Haun.* *Carden.* relati n. 21. sequitur *Maurus* q. 141. n. 23. aliique communissimè: oppositum quidem tenuerat *Ripald.* de ente supern. d. 20. f. 21. & seqq. iterumque d. 63. putans sufficere fidem latè dictam, sed gravissimè oppugnatus à *Lugo* f. 1. licèt postea iterum scribens de fide d. 17. f. 10. & seqq. conatus sit se tueri, tamen n. 204. absolutè decernit fidem strictam esse necessariam ad justificationem; ideoque etiam *Oviedo* controv. 7. n. 13. postquam dixisset certum esse apud omnes Theologos, quòd actus fidei prærequiratur ad justificationem per baptismum, & ad gratiam post baptismum amissam iterum recuperandam, n. 22. subdit, se nunquam ausurum testimonia, quibus ita clarè & expressè fides ad salutem exposcitur à *Paulo* & *Trident.* exponere de fide latè dicta: & quod dicitur de necessitate fidei strictæ ad justificationem, valet de necessitate ad omnem actum supernaturalem, uti signanter notant AA. n. 21. relati.

Rationem dat *Platel.* n. 222. ubi loquens de illa sententia *Ripaldæ*, ait, ne eam sequar, faciunt, 1. communissimus cæterorum DD. sensus in contrarium. 2. Scripturæ & Patres cum Conciliis absolute requirerentes fidem simpliciter, quo nomine venit fides stricta. 3. Præcipue *Apostolus* ad *Hebr.* 11. & alibi, de hac satis apertè loquens: dicit enim fidem illam esse necessariam, quam ibidem dixerat esse sperandarum substantiam rerum, argumentum non apparentium; Item ad *Rom.* 10. dicit unumquemque

quæque per talem invocationem nominis Domini salvum fieri, ad quam requiritur credidisse, & ad quod credere requiritur audivisse & prædicatum esse, hæc autem omnia sonant fidem strictam, ergo. Similiter *Concilia & PP.* loquuntur de illa fide, per quam intellectus captivatur in obsequium Dei; sic *Trident.* expressè dicit de illa fide, quæ ex auditu concipitur; & quando *PP.* loquuntur de necessitate fidei, contraponunt eam cognitionibus comparatis ex ratione humana vel naturali per evidentiam, ideoque dicunt talem fidem procedere debere liberè ex pia affectione voluntatis, uti ostendit *Lugo n. 12.*, ergo intelligunt fidem strictè dictam. Denique licèt probabile sit, quod docet *Carden. d. 11. n. 73.*, nempe assensus firmos, qui post habitum actum fidei strictæ repetuntur, dici posse simpliciter fidei, quamvis aliquis non recorderetur motivi fidei, quia causantur à specie supernaturali relicta post actus, qui procedebant cum reflexione ad motivum fidei, tamen id non est certum, nisi intelligatur de fide virtuali, secundùm dicenda n. 25.

§. 11. Si fides virtualis sumatur secundùm primam explicationem n. 16. relatam, non est certum, quòd sufficiat ad justificationem aliosque actus supernaturales: est contra *Carden. d. 15. c. 4.* Probat, quia Scriptura, Conc., *PP.* & Auctores requirunt fidem, absolutè & simpliciter, imò eorum plerique expressè requirunt actum fidei vel fidem actualem, uti *Clerus Gallicanus, Suar. Turr. Lugo. Castrop. Esp. Rhod. Herinx. Platel. Stoz, Gormaz. Tabern. Juss.* relati n. 18. Item *Sporer & Fagn.* relati n. 21. Et idem est sensus reliquorum

C

tum

tum ibi tum numeris aliis relatorum, uti colligitur ex rationibus, quas addunt; non dicitur autem absolutè & simpliciter fides, multò minùs dicitur *actus fidei* vel *actualis fides*, sine addito, nisi re ipsa & in se fit fides, uti n. 23. dictum est, ergo. *Ratio* etiam à priori est, quia ideo requiritur fides, ut intellectum supernaturaliter illustret, ut certificet, ac proportionatè representet proponatque voluntati objecta, in quæ tendere debet per actus spei, doloris & aliarum virtutum supernaturalium, hæc autem certò haberi non possunt per quemcumque alium effectum à fide causatum, si non adsit actus fidei saltem tenuis & imperceptibilis, uti colligitur ex Auctoribus & Reasonibus n. 18. 19. 20. 21., ubique sub finem, additis, ergo.

25 §. 12. Certum est ad justificationem, spem, dolorem de peccatis aliosque actus supernaturalis sufficere fidem virtuales, secundum explanationem secundam n. 16. datam, si nempe sit actus in se fidei, licet tenuis & imperceptibilis: nam simpliciter & strictè est fides actualis, potestque præstare omnia, per se loquendo, quæ n. 24. diximus per fidem esse præstanda: Nec invenio Auctorem, qui dissentiat, licet enim *Dicast.* de pœn. d. 1. n. 231. ad justificationem requirat actum fidei formalem, & *Esp.* de pœn. q. 88. a. 2. actum spei formalem, ideo est, quia supponunt fidem & spem virtuales non esse re ipsa actuales, & sic dicunt idem, quod diximus n. 24. non negant autem sufficere virtuales illam, quam nos dicimus esse re ipsa in se fidei actum. vide dicta illo n. 16.

26 Q. 5. Quænam opponi soleant contra dicta q. præced. & quomodo solvantur. R. Præcipuè sunt seqq.
§. 1.

§. 1. *Obiicitur* 1. Si fides & spes prærequiratur ad dolorem sufficientem pro Sacramento penitentiae, uti n. 19. & 20. dictum est, ergo qui non elicuerit illos actus ante confessionem, tenebitur confessiones repetere. R. Si sciret se nequidem virtualiter habuisse, c. Ex hoc præcisè, quòd nunc non meminerit se habuisse, n. seq. nam qui de more frequentarunt catechismos, ac postmodum assueverunt formaliter credere ac sperare objecta necessaria, prudenter supponunt se ea iterum credidisse ac sperasse saltem virtualiter, dum dolebant de peccatis, volebantque confiteri: *Ratio* est, quia dolor, qualis ordinariè elicitur, prærequirit cognitionem omnium illorum objectorum, uti n. 19. dictum est, ergo moraliter fieri non poterat, quin excitarentur species de illis objectis, vel saltem de prioribus actibus circa illa, & cum species illæ essent connexæ, connaturaliter loquendo, excitabantur omnes simul, ergo intellectus, qui semper quærit certitudinem, nec aliunde poterat eam habere, continuò recurrebat ad similes certas cognitiones fidei; consequenter etiam emovebatur voluntas ad correspondentes actus spei vel timoris, quamvis homo non semper adverteret se eos actus habere: hinc infert *Lugo* l. 13. n. 44. stultè aliquos scrupulis angi, eò quòd non recordentur, an habuerint fidem ante confessionem, si enim habuerint dolorem, dicit putare debere, quòd habuerint etiam fidem: quod intelligendum est de illis, qui antecederent satis sciverunt credenda & modum credendi; atque idem est de spe: aliud est de aliis, qui nunquam sciverunt credenda aut speranda, neq; modum

eos actus eliciendi, de quo dicitur à n. 30. & 118., Notatque rectè *Platel.* n. 241. Confessarium, priusquam absolvat, teneri interrogare pœnitentem, si rationabiliter dubitet, an sciat necessaria, necessitate medi; Addit tamen dubium non esse rationabile, si pœnitens sit litteratus, bene educatus, & frequenter confiteatur.

Inst. 1. Nemo potest esse certus se necessaria scivisse, aut ante confessionem sufficienter eliciuisse actus necessarios, ergo manebit obligatio repetendi illas confessiones, quia circa valorem Sacramentorum non est licitum sequi incerta & tantùm probabilia. R. Dato antec. n. conseq., cujus probat: dist.; circa valorem Sacramenti suscepti non est licitum sequi tantùm probabilia, n, circa valorem Sacramenti suscipiendi, c. affi; disparitas est, quòd in casu Sacramenti probabiliter validè suscepti, non tantùm sit possessio pro valore actus, sed nullum insuper Sacramentum ideo exponetur periculo nullitatis, licet enim peccata illa omittantur in sequentibus confessionibus, non ideo confessiones exponuntur periculo nullitatis, quia certum est confessionem tantùm formaliter integram sufficere ad valorem, uti dicitur l. 6. tr. 4. c. 1. ad d. 3. Opposita omnia sunt, si agatur de Sacramento suscipiendo, tum enim fateor meritò adhibendam majorem cautelam, ut per præmissos actus fidei & spei voluntas disponatur ad dolorem supernaturalem, præsertim cùm nesciamus, quando actus illi desinant esse virtualiter & tantùm habitualiter permaneant.

Inst. 2. Ad dolorem supernaturalem satis est, quòd præcedat naturalis cognitio peccati, ergo
etiam

etiam sufficiet, si præcedat cognitio naturalis Dei
 ut remuneratoris vel ut summè boni. R. N. con-
 seq: , præcognitio peccati est pura conditio, de
 se non disponens ad gratiam vel salutem, sed de
 se indifferens, ut peccatum ametur vel odio ha-
 beatur; è contrà præcognitio Dei per fidem est
 propriè dispositio ad salutem, saltem ex ordi-
 natione Dei in præsentè providentia, secundùm
 dicta n. 22: , & id rescimus ex Scriptura, Conc: ,
 PP. & Doctoribus, qui nil simile dicunt de præ-
 cognitione peccati.

Inst. 3. Saltem ad dolorem de peccato, quod
 certò cognosco esse plenè remissum, non prære-
 quiritur spes veniæ, quia spes est desiderium,
 quod tendit in bonum absens probabiliter obti-
 nendum, venia autem talis peccati cognoscitur
 certò præsens & obtenta. R. N. aff: , per spem
 veniæ intelligitur spes remissionis peccati, idest,
 gratiæ remissivæ peccati, talis autem remissio
 potest fieri sæpius, ac sæpius causari talis gratia
 per novam absolutionem, uti suppono ex di-
 cendis l. 6. tr. 4. c. 1. ad dub. 1.

Obi. 2. Durum est & contra mentem omni-
 um fidelium dicere, quòd per omnia opera et-
 iam in statu gratiæ facta, v. g. per eleemosynas,
 nihil mereamur præmii supernaturalis, nisi pri-
 us tendamus in Deum per fidem & spem, ergo
 dicta n. 21. sustineri non debent. R: N: ant: , nam
 ad hoc dicendum cogunt nos Auctoritates & ra-
 tiones ibi adductæ. Neque hoc videri debet du-
 rum, nam qui scit objecta credenda & speran-
 da, ac sæpe exercuit fidem ac spem, si ex bono
 fine det eleemosynam (: quod requiritur ad me-
 ritum apud Deum :) Virtualiter & exercitè co-
 gnoscit

gnoscit honestatem illius operis Deumque remuneratorem, à quo proinde sperabit, uti n. 26. explicatum est: similiter quoties formabit Crucem, adorabit Crucifixum, audiet Missam, orabit &c.; concomitanter eliciet actus fidei & spei, quibus assuevit circa talia objecta tum occurrentia. Denique talis homo, cum fidem Christianam sæpius posuerit tanquam certissimam regulam suarum actionum, quibus ad Deum & beatitudinem vult tendere, quoties hoc vel illud honestum volet agere, etiam volet tendere ad Deum & beatitudinem suam ex directione suæ regulæ, licet non ita advertat; sicuti qui ex regula didicit syllogismos facere, postea ex regula eos repetit, licet non ita advertat se ab ea regula dirigi, uti dictum est n. 16. Et ratio à priori est, quia difficillimum est, ut amans aliquem finem eligat medium, quod novit esse conducens ad illum, & non prius tendat in eum finem, ergo cum omnis Christianus amet beatitudinem, & ex fide sciat honestatem omnis actus boni conducere ad beatitudinem, quando operabitur honestè, facillimè & pro priori per fidem tendet in illam beatitudinem.

Inst. 1. Incredible est homines pios & simplices, qui nihil cogitantes de actu fidei, meditantur aliquid de creaturis, & inde accenduntur, v: g: ad laudem Dei, habere actus tantum naturales. R: De infidelibus non habemus exempla, quod ita accendantur: si fideles sint, vel erunt actus naturales, vel prius per fidem, saltem virtuales, agnoscent Deum ut Auctorem talis creaturæ.

Inst. 2. Talis laus Dei posset dirigi per actum
pru-

prudentiæ supernaturalis, dictantis Deum ex tali creatura esse laudandum, ergo non est opus actu fidei. R. Talis laus, si fit supernaturalis, posset dirigi per actum prudentiæ supernaturalis, suppositâ cognitione fidei, c, hac non suppositâ, n, prudentia enim, ut dictet Deum esse laudandum laude, quæ ad beatitudinem conducere possit, supponere debet omnia principia laudis supernaturalis adesse ex parte actûs primi, inter quæ est cognitio fidei certa de eo, quòd Deus sit finis ultimus, objectum & auctor beatitudinis.

Inst. 3. Pia affectio credendi & iudicium credibilitatis sunt actus supernaturales, neque tamen ad eos prærequiritur fides, cum hanc præcedant, ergo nec prærequiritur ad alios actus supernaturales. R. N: conseq:, priores enim actus spectant ad fidem completè sumptam, uti rectè *Lugo d. 5. n. 46. & Platel: n. 223:*, Concilia autem, PP: & Auctores præquirunt fidem ad actus supernaturales à fide distinctos.

Inst. 4. Oratio, quâ primò oraturus ardentè petit fidem, est actus distinctus à fide, præcedens fidem, & tamen supernaturalis, ergo. R. *Rhod. d. 2. q. 3. f. 4. §. 1. & Carden. d. 16. n. 20.* putant talem orationem esse naturalem, & tantum removere impedimentum fidei: *Lugo* permittit esse supernaturalem, sed dicit pertinere ad fidem ac in ratione doni computari pro fide, cum sit quædam ejus inchoatio, & re ipsa oriatur ex lumine fidei, sicuti crepusculum matutinum computatur dies, quia est à lumine Solis, & inchoat diem; favetque huic sententiæ *S. Greg. hom: 9: in Ezechielem.*

Obj: 3: SSPP loquentes de necessitate fidei 28

C 4

sæpe

sæpe sumunt fidem pro cognitione honesti, uti ostendit *Ripald:* d. 17. s. 2. 3. & 4., eo sensu, quo dicitur, omnia esse peccata, quæ non fiunt ex fide, ergo malè explicantur de fide stricta, & consequenter dicta n. 23. non subsistunt. R: N: conseq; nam alibi talem requirunt fidem ad meritum, qualem ad justificationem, hæc autem debet esse stricta, uti certum est ex dictis n. 8., ergo.

Inst: 1: *Conc: Mogunrinum* c. 7. de justif: dicit, prævenientem gratiam, tum per alia media, tum potissimum in prædicatione verbi ad conversionem hominum operari, ergo agnoscit sine prædicatione verbi dari gratiam prævenientem, etiam ad justificationem, ergo dari potest etiam justificatio sine fide stricta. R: N: secundam seq; nam in prinis seclusâ prædicatione poterat revelatio proponi per lectionem vel illuminationem internam, ad quam sequi poterat fides stricta: Deinde licet omnino primæ gratiæ prævenientes datæ fuissent ante fidem, tamen fides debuisset supervenire tanquam medium ad justificationem.

Inst: 2: *S: August:* & alii *PP:* agnoscunt in infidelibus gratias supernaturales excitantes ad bona opera, planè independentes à fide, uti latè ostendit *Ripald:* s. 6. & 7. sic *S: Basilides*, quia adhuc infidelis defenderat *S: Potamienam* à quorundam petulantia, meruit converti post triduum: sic *S: Greg: Naz:* orat: 19: loquens de actibus virtuosis Patris sui adhuc infidelis, ait, *pro his rebus fidem quoque, ni fallor, præmii loco retulit:* sic *Daniel* c. 4. suadet *Nabuchodonosori* infideli, ut peccata sua eleemosynis redimat. R. Illis gratiis non consentiebant consensu supernaturali, nisi
medi-

mediante fide : *S: Basilides* isto actu non meruit gratiam conversionis, sed *S: Potamienu* pro ipso orans impetravit : *S: Greg:* latè sumit tò præmium, nam opera illa non merebantur fidem, sed impropriè disponebant, removendo impedimenta graviora, uti verba illa exponunt interpretes apud *Lugo* n. 74. *Daniel*, vel supponebat priùs habendam fidem, ex qua darentur eleemosynæ, vel si ante fidem suadebat eleemosynas, hæ tantum poterant avertere poenas temporales, quod fuisset præmium tantum naturale. Ex hætenus dictis,

§. 2. *Inferuntur* seqq: 1. Quàm gravis sit obligatio illorum, qui curam animarum habent, ut sibi commissos bene instruant in fide, utpote à qua velut principio primo pendent omnia : *plane*, inquit *Herinx* d. 7. n. 42., *longè utilius instituentur coram plebe conciones catechisticæ quàm aliæ, in quibus subtilizantur loca scripturæ & conceptus ac discursus captum plebis excedentes proponuntur, pro ut tamen frequenter fieri videmus.* 2: Quàm prudenter etiam faciant alii, qui sine obligatione regunt animas, si modum exercendi virtutes theologicas bene edoceant, earumque exercitium frequenter commendent : longè plùs proderit per medium quadrantem actus fidei, spei, charitatis elicuisse, quàm per dies multos se affixisse ciliciis vel jeuniis, aut vacasse aliis suis devotiunculis. 3. Quàm quisq; pro se sollicitus esse debeat, ut in his quoque frequenter se occupet, partim ut assuescat, sic enim fiet, ut actus illi sæpe & maximè in necessitate recurrant quasi ex habitu; partim quia sunt regula, anima & perfectio omnium agendorum ac patiendorum pro vita aterna.

30 *Q. 6. Quomodo homo, etiam rudis, practicè instruatur & induci debeat ad credendum. R.* Quidam animarum Curatores hìc parum operæ ponunt, & putant satis esse, si interrogârint, nunquid credis omnia? &c.: Alii putant se multum fecisse, si mysteria credenda ordine proposuerint, & verbo addiderint, nunquid hæc credis, quia Deus dixit? Rudes sic instructi nunquam credent, licet millies dicant, credo, & insuper recitent omnia symbola fidei. Itaque procedendum est hoc vel simili modo, edocendo sequentia.

31 §. 1. Credere fide divinâ, non est tantum cogitare de objectis à Deo revelatis, v. g. de Deo existente, de Deo remuneratore &c.; sed credere est habere assensum circa illa objecta, & quidem ex motivo illo, quia Deus dixit, uti statim explicabitur; si enim assentiatur ex alio motivo, vel quia homines hoc dicunt, vel quia ratio naturalis hoc suadet aut evincit, erit tantum fides humana vel opinio vel scientia naturalis, planè inutilis ad salutem, justificationem vel meritum.

32 §. 2. Præcipua objecta, quibus homo assentiri debet in ordine ad eliciendos actus virtutum, ad suscipienda Sacramenta, ad meritum è bonis operibus reportandum, sunt seqq: 1. Deum esse, qui gubernet omnia. 2. Deum esse remuneratorem bonorum & punitorem malorum. 3. Animas esse immortales. 4. Gratiam esse necessariam ad salutem. 5. Deum esse unum in essentia & Trinum in personis, Patrem, Filium & Spiritum sanctum. 6. Secundam personam, quæ dicitur Christus, esse pro nobis factam hominem & passam. 7. Christi gratiam nobis conferri per Sacramenta ab ipso instituta, speciatim per illa, quæ
fufci-

fufcipere volumus. 8. Deum eſſe infinite ſapientem & veracem, ideoque non poſſe in eo, quod dicit, falli aut fallere: , item promiſſiſſe nobis æternam beatitudinem ac media ad illam, & eſſe infinite fidelem ac potentem ſervare ſua promiſſa: item eſſe infinite bonum, propter ſe digniſſimum amari & non offendi. 9. Deum eſſe finem ultimum rerum omnium, ad cujus agnitionem, amorem, honorem dirigenda ſunt omnia.

Hæc omnia objecta credenſa, debent ad captum exponi rudibus, alioquin nequidem intelligent, quid ſit hoc, quod illis proponitur credendum.

§. 3. Inculcandum eſt, quòd omnia iſta ſint 33
revelata à Deo, & nobis credenda proponantur per Eccleſiam, quam Chriſtus dixit eſſe columnam veritatis, quam vocavit petram non everteſcendam per portas inferi, quam qui non audit, vult Chriſtus eum haberi tanquam Ethnicum & Publicanum.

§. 4. Si homo inſtruendus velit reſcire, ubi 34
Deus ſingula iſta revelaverit, dicatur ipſi, quòd revelaverit in ſacra ſcriptura, uti pro ſingulis facile incidet aliquis textus, aut antecederet eos ſibi notaverit Inſtructor: de cætero illis, qui ſunt catholici, ſatis eſſe debet, quòd Romana Eccleſia, quæ ſola eſt vera Eccleſia, proponat iſta credenda: ſi autem hæcenus non fuerit Catholicus, explicari illi debet, quòd ſola Eccleſia Romana ſit vera Eccleſia, eò quòd ipſa ſola habeat veræ Eccleſiæ notas, quæ ſunt eſſe *Unam, Sanctam, Catholicam, Apoſtolicam*: & pro his ſingulis probandis debet Inſtructor aliunde in promptu habere convincentia argumenta: Etiam inde ad captum rudium ſuadetur ſolam Eccleſiam Romanam eſſe

esse veram Christi Ecclesiam, quia in illa fuit semper & adhuc est gratia miraculorum: in illa observantur Evangelica Christi consilia: ipsius fides per totum mundum jam dudum prædicata est: in ipsa mori cupiunt plerique etiam acatholici, quando advertunt se per mortem ituros in æternitatem.

35 §. 5. Illis objectis ita à Deo revelatis & ad credendum per Ecclesiam propositis assentiri debet unusquisque firmissimè; firmiùs, quàm si oculis videret, quia visioni oculorum potest subesse deceptio, non autem fidei divinæ; debet autem assentiri ex motivo infinitæ authoritatis Dei, qui ista dixit.

36 §. 6. Authoritas illa Dei est aliqua perfectio & excellentia in Deo, propter quam est dignissimus, cui firmissimè assentiamur, si ipse aliquid dicat; re ipsa autem ista authoritas consistit in hoc, quòd Deus, qui hoc dixit, in primis sit infinitè sapiens, qui omnia sciat, sicuti in se sunt, nec possit falli: deinde quòd sit infinitè verax, qui aliter loqui non possit, quàm sciat, ideoque non possit fallere; & hoc utrumque necessarium est, nam si posset falli, quàmvis non posset fallere; aut si posset fallere, quàmvis non posset falli, non esset summè dignus, cujus verbis firmissimè assentiremur: utroque autem illo habito jam est summè dignus tali assensu.

37 §. 7. Ut ille, qui instruitur, hæc meliùs capiat, rogari debet, cur potius credat, v. g. D. Pastori sibi aliquid dicenti, quàm alicui petulanti juveni; utique dicet, quia puto D. Pastorem bene scire, quid dicat, & non velle aliter dicere quàm sciat, sive, quia puto illum non errare nec mentiri;

tiri; talis autem juvenis sæpe dicit, quod nescit, aut etiam sæpe mentitur: id applicet Deo, qui necessario semper scit omnia, sicut in se sunt, & non potest aliter loqui, quàm sciat; si enim posset falli vel mentiri, non esset Deus, quia esset valde imperfectus, Deus autem est talis, cui nulla perfectio potest deesse; ex quo colliget Deum esse dignissimum, cui in omnibus credamus per assensum firmissimum.

§. 8. Licet instruendus visus sit ista cepisse, 38
eadem tamen aliàs repetenda sunt, tum quia per se satis sunt difficilia, tum etiam quia facilè elabuntur apud homines aliis intentos, nisi firmata sint longo usu. Pueri sæpe sciunt omnia ista verbotenus dicere, rem autem non capiunt, uti inde constat, si eadem aliis verbis per interrogationes proponantur, tum enim hæsitabunt vel errabunt, unde ut hi aliique similes sufficienter informentur, debent paulatim per partes edoceri de singulis, aliis vicibus repetendo omnia simul quasi cursim, ut memoriã retineant, diutius autem inhærendo illi puncto, quod tunc accuratius explicandum assumitur.

§. 9. Ad firmandam & perficiendam ejusmodi 39
instructionem multum juvabit cum ipsis sæpe, ubi occasio erit, conceptis & semper iisdem verbis elicere actum fidei, aut etiam in scripto vel impresso dare sæpius pro privata devotione orandum.

Q. 7. Quomodo practicè elici possit ejusmodi astus 40
fidei. R. Formulam ejus dabo n: 153: ubi conjugam etiam formulam actuum Spei, Charitatis & Contritionis.

CAPUT II.

50. 53.

Quando obliget præceptum
Fidei.

- 41 **R.** I. Præceptum fidei internum obligat, 1.
 Pueros inter fideles educatos, quando ratio-
 nis usum perfectè consecuti mysteria fidei audi-
 unt, apprehenduntque, quòd illa credere, sit res
 necessaria ad salutem; peccantque mortaliter
 omittendo. *Sanch. Bon. ro. 2. d. 3. q. 2. p. 2.* ad-
 dens plurimos eorum excusari inadvertentiâ,
 aut invincibili ignorantia. 2. Adultos infideles,
 quando ratio incipit dictare, res fidei sufficien-
 ter propositas esse, & contrariam sectam esse
 falsam. *Sanch. l. 2. mor. c. 1. Kon. d. 14. de fide. Fill.*
 42 *tit. 2. 2. nu. 25.* 3. Quando urget tentatio contra
 fidem, quæ aliter vinci nequit: Quod tamen
 non convenire scrupulosis, rectè monet *Sanch.*
 quia hi avertendo mentem ad alia objecta, faci-
 lius superant: Et in his duobus casibus præce-
 ptum obligat per se: in sequentibus per acci-
 dens. 4. Quando tentatio urgens contra alias
 virtutes aliter superari nequit. 5. Quando faci-
 enda est professio fidei exterior, vel ex præce-
 pto eliciendus est actus alterius virtutis, v. g.
 Spei, Charitatis, Pœnitentiæ, quæ fidem suppo-
 nat. *Bon. q. 2. p. 2.* Hic addit *Hurt.* contra *Sanch.*
 42 *an. p. 5. r. 13. R. 19.* *Ex his resolvuntur hi casus:*
 43 I. Hæreticus, quamdiu suam sectam iudicat
 esse credibiliorem, vel æquè credibilem, non
 tenetur credere; quia fides nondum est suffici-
 entes

enter ipsi proposita , ageretque imprudenter. 33
Sanch. l. c. Lay. l. 2. t. 1. c. 10. & 12. 33

II. Quando ius, qui in hæresi nutriti sunt, per-
 suasum est à puero, nos abjicere & persequi ver-
 bum Dei, esse idololatrias, pestilentes decepto-
 res , ideoque tanquam pestes fugiendos ; non
 possunt stante hac persuasione , salvâ conscien-
 tiâ nos audire ; & laborant ignorantia invinci-
 bili, cum non dubitent se esse in bona via. *Laym. 22*
c. 10. Sanch. l. c. 33

III. Si talibus oriatur dubium de sua secta , 33
 tenentur ulteriùs inquirere , & à Deo petere lu-
 men, (quod si negligant, peccant contra fidem, 33
 cum non adhibeant media ad implendum præ-
 ceptum fidei ,) quòd si deinde nostra fides eis 33
 sufficienter proponatur, tenentur amplecti. *Ib. 33*
vid. Palao t. 4. d. 1. p. 12. 33

Resp. II. Præceptum exterioriùs fidem confiten-
 di, jure naturali obligat duplici casu ; scilicet , 33
 cum vel honor Deo debitus , vel utilitas proxi-
 mo impendenda , privativè vel contrariè sub-
 traheretur. Dixi 1. *privativè*: ut si ideo cessaret 33
 magnus honor in Deum , vel utilitas in proxi-
 mum redundans. Dixi 2. *contrariè*: ut si alioqui 33
 Deus afficeretur injuriâ , vel proximus gravi 33
 malo , v. g. si inde penderet aliorum conversio, 33
 aut perversio , contemptus religionis, scanda- 33
 lum , &c. Ratio responsionis est ; quia actus vir- 33
 tutis tunc videtur præceptus , quando est ne- 33
 cessarius ad finem præcepti, quod hic contingit, 33
 quia finis præcepti est Charitas, *S. Tho. 2. 2. q. 3. 33*
n. 2. Suar. Reg. Fill. t. 22. c. 3. q. 1. Unde resolvitur 33
hic Casus: 33

Si hæretici conculcent imagines, aliisve inju-
 rus

rius fidem afficiant, tenetur eam suâ confessione tueri Catholicus, si quidem inde prudenter speret profectum.

Resp. III. Ad professionem fidei externam, jure Ecclesiastico tenentur sub mortali, secundum *Tridentinum*, cum juramento obediendi Ecclesiæ Romanæ, ut docet *Fill. cap. 3. sequentes personæ*,

I. Provisi de beneficio curato; idque intra duos menses à die possessionis, coram Episcopo, aut ejus Vicario generali, vel Officiali. *Seff. 24. c. 22. de reform.*

II. Provisi de Canonicatu vel dignitate, in Cathedrali Ecclesia; idque non tantum coram Episcopo vel ejus Vicario, sed etiam in Capitulo, *Ibidem*, additâ pœnâ (ad quam non videntur teneri ante sententiam) ut alioqui fructus non faciant suos, *v. Sanch. l. 2. c. 5. Barb: de pot. Epis. alleg. 61. n. 29.*

III. Primates, Archiepiscopi, Episcopi, in prima Synodo Provinciali, cui intererunt. *Trid. seff. 25.*

IV. Extendit Pius IV: hanc legem ad omnes Prælatos Religionum, etiam militantium, Pius V. autem apud *Rodriq. to. 2. qu. regul. q. 72.* ad omnes promovendos in Doctores, Magistros, Regentes, Professores, additâ excommunicatione latæ sententiæ, & privatione omnium beneficiorum in eum, qui alios promovet ad talem gradum sine prævia professione, *v. Fill. q. 11. Barb: in remiss. f. 24. num. 12.* Verum ubi hoc decretum non est receptum usu, non obligare monet *Sanch. c. 3. num. 4. Unde resolvitur:*

I. Non tenentur ad dictam professionem pro-

provisi de Canonicatibus in Ecclesiis tantum²²
Collegiatis, vel de Beneficiis tantum simplici-²²
bus.

II. Etsi probabile sit, hanc professionem²²
posse fieri per procuratorem, ut docet *Azor*,²²
Nav. & *Sanch.* probabilius tamen est, teneri per-²²
sonaliter, ut docet *Fill. n. 96.* Ratio est, tum,²²
quia aliàs non videtur fieri satis juramento,²²
quod personaliter faciendum esse docet *Glossa*²²
apud *Fill.*; tum quia ita decidit *Rota* apud *Garz.*²²
l. 3. de benef. c. 3.

A D D E N D A.

Q. 8. Quid notandum sit circa obligationem fidei 42
eliciendæ, quando tentatio urget. R. Hoc unum,
quod sit quidem illa obligatio, si tentatio aliter
vinci non possit, cum quisque de jure naturæ te-
neatur suæ salutis prospicere: putant tamen mul-
ti hoc plerumque intelligi de tentatione exter-
na, v. g. si Tyrannus urgeat ad negandam fidem,
nam interna tentatio communiter oriri solet ex
scrupulis, & augetur per sollicitum timorem eli-
ciendi tales actus fidei, unde tunc consultius erit
cogitationes alio divertere, aut saltem, si quis a-
ctum fidei elicere velit, non cogat se circa obje-
ctum, de quo tentatur, in actuali enim & ferven-
ti tentatione melius est ab illo abstrahere, sed eli-
ciat in genere, dicendo, credo omnia, quæ Deus
dixit & Ecclesia proponit credenda &c. vide di-
cta l. 1. n. 551.

Q. 9. Quid addendum sit circa 4: prop. ab Inn. 43
XI. damnatam. R. Propositio sic habet, *Ab infide-*
litate excusabitur infidelis, non credens ductus opinione
minis

D

minis

minus probabili. Ex hac damnatione certum est infidelem non excusari, si non credat, quando nostra fides ipsi proponitur ut probabilior, quamvis sua infidelitas ipsi adhuc videatur probabilis: sed cum secundum dicta n. 6. ad credendum requiratur certitudo & evidentia de revelatione Dei, ex qua formetur Judicium certum & evidens, quod mysterium propositum prudenter possit & debeat credi, hinc difficultas est in explicando sensu illius damnationis, pro quo fit,

44 §. 1. *Bann: Gonet, Lumbier & alii apud Carden:* in 2. crisi d. 15. n. 97. dicunt, ad credendum sufficere, quod nostra fides infideli appareat probabilior, adeoque ad credendum sufficere evidentiam majoris probabilitatis. *Contra* est, quia quando est evidentia majoris tantum probabilitatis, est tantum probabilis notitia revelationis, cum qua notitia stare potest formido, ne Deus non sit locutus, quod enim tantum est probabilius, non egreditur fines probabilitatis, & consequenter non est certum, ergo circa illud stare potest simul dubium vel formido de opposito, atqui, ex dictis n. 6., ad credendum non sufficit notitia tantum probabilis revelationis, sed requiritur certitudo, excludens omnem formidinem de eo, quod Deus non sit locutus, ergo.

45 §. 2. *Hozes apud Carden. d. 5. n. 39.* dicit talem infidelem non posse quidem adhuc credere positivè, ideo tamen non excusari, quia tenetur deserere suam infidelitatem, & implere præceptum negativum fidei, quod est abstinere ab erroribus in fide. *Contra* est, nam imprimis potest meritò formidare & dubitare de hoc, an sua se-

cta

ita fit falsa, & consequenter potest dubitare de veritate nostræ fidei, habet enim tantum probabilem notitiam de falsitate suæ, ergo non tenetur ad præceptum negativum fidei, quod prohibet, ne etiam dubitemus de veritate nostræ fidei. Deinde si in eo casu tenetur deserere suam sectam, ideo erit, quia debet iudicare illam esse falsam, hoc autem non iudicat certo, alioquin non posset ipsi apparere ut probabilis, ergo iudicat probabiliter tantum, ergo etiam habet formidinem, ut sit vera, & consequenter eam non deseret, quia perget iudicare, quod sit probabilis.

§. 3. *Filguera* apud *Carden.* n. 32. dicit ideo 46 non excusari, quia mysteria nostræ fidei sunt evidenter credibilia. *Contra* est, quamvis sint evidenter credibilia secundum se, & etiam respectu illius, cui sufficienter proponuntur, non tamen sunt evidenter credibilia illi, cui proponuntur ut probabilia tantum, quia cum majori probabilitate adhuc stat formido de opposito, ergo infidelis, qui non potest habere nisi majorem probabilitatem de iis, necdum tenebitur credere.

§. 4: *Eliz.* l. 5. q. 8. §. 5. docet teneri credere, 47 quamprimum ipsi fides nostra promulgatur, unde si statim fidem non admittat, peccaturum peccato formali ignorantiae, etiam nesciendo quid faciat. *Contra* est, nam temerarium est credere cuivis quidvis dicenti, ergo licitum est tantisper suspendere assensum, dum motiva examinauerit & credibilitatem agnoverit. Deinde si Calvinista veniat ad Judæum annuntians ei fidem suam, aut Judæus ad Calvinistam, nec Cal-

vinista, nec Judæus tenetur statim credere, ergo nec tenebitur, licet Catholicus ei fidem suam annuntiet, suppono enim non esse pro uno majora signa credibilitatis quàm pro altero, hinc S. Th. 2. 2. q. 1. a. 4. ait, quod licet non videantur mysteria fidei in se, tamen videantur in ratione credibilium, non enim, inquit, crederet, nisi videret ea credenda esse, vel propter signorum evidentiam, vel propter aliquid hujusmodi: & ideo etiam Christus Joan: 15: ait, Judæos peccatum non habituros, si signa non fecisset, quæ nemo alius fecit.

48 §. 5. Sensus propositionis damnatæ videtur esse hic, quòd infidelis, qui non credit, dum habet majorem probabilitatem pro fide nostra, ideo non excusetur ab infidelitate, quia est in ignorantia vincibili circa fidem nostram, & ex culpa sua caret certitudine requisita ad credendum, eò quòd non adhibeat diligentiam in inquirendo: hoc ipso enim, quòd nostra fides ei appareat ut probabilior, cum fides vera sit de necessitate mediæ ad salutem, tenetur inquirere in argumenta pro & contra, quòd si faciat, mysteria fidei nostræ facillè apparebunt ei esse evidenter credibilia; itaque talis infidelis non tenetur determinatè ad credendum, nec ideo præcisè peccat, quòd, quamdiu habet majorem tantum credibilitatem, hoc ipso statim non credat, sed tenetur vel ad credendum, quantum potest, vel ad adhibendam majorem in inquirendo diligentiam; ideo autem peccat, quia ex culpabili negligentia non credit, uti oportet, cum negligat adhibere diligentiam, quâ positâ acquireret certitudinem, & Deus adderet illustrationem intellectus ac piam inclinationem voluntatis, sicque

ficque crederet. Quòd si talis infidelis eum ejus-
modi probabilitate deprehenderetur in articulo
mortis, neque haberet tempus vel potentiam
diligentiùs inquirendi, teneretur Deum rogare
pro illustratione intellectùs, quam Deus, qui
omnes vult salvos fieri, non negaret facienti,
quod in se est, per hanc autem illustrationem
transfret illa probabilitas in certitudinem: ita
quoad omnia *Carden: d. 5. c. 2. & d. 15. c. 7.*

§. 6. Ex his facilè intelligitur, quomodo co- 49
hæreat damnatio hujus 4. prop., & 21. n. 6. re-
lata, nam 21: dicebat probabilitatem sufficere
ad credendum; ex damnatione autem hujus 4:
non potest inferri, quòd probabilitas aut etiam
quòd major probabilitas sufficiat ad creden-
dum, sed tantùm infertur, quòd quando est ma-
jor probabilitas, infidelis non excusetur, si non
credat, eò quòd teneatur magis inquirere, per
quod acquireret, ut credat.

§. 7. *Busenb.* hìc dicens hæreticum, quamdiu
suam sectam judicat esse æquè credibilem,
non teneri credere, tantùm vult non teneri
determinatè credere, tenetur tamen ulte-
riùs inquirere, quia pro sua secta non habet evi-
dentiam, ergo cùm teneatur credere, tenetur in
una Religione quærere evidentiam, quam inve-
niet in Catholica, si indifferenter examinet:
è contrà quamvis nobis incidat cogitatio, an non
fortè fit aliqua alia Religio vera, nō tenemur ex-
aminare aut inquirere, sed tenemur talem cogi-
tationem positivè repudiare, quia pro nostra fi-
de habemus evidentiam saltem moralem, nam
qui notas veræ Ecclesiæ considerat, omnino du-
bitare non potest.

80 Q: 10: Quid addendum sit circa alias propositiones hic damnatas. R. Seqq.

§. 1. Propositio 16: ab *Innoc. XI* damnata est hæc, *fides non censetur cadere sub præceptum speciale & secundum se.* Hæc damnatio confirmat illa, quæ dicta sunt n. 1. circa propositionem 1: ab *Alex. VII* damnatam, neque opus est aliquid addere, nisi hoc, quod notat *Card. d. 11. n. 26.*; nempe certum esse, quod præcepto speciali obligemur ad fidem, non tantum præcepto negativo prohibente dissensum, dubitationem & formidinem in fide, sed etiam affirmativo obligante positive ad eliciendum actum fidei, uti constat ex propositione ibi relata: *Innocentius* autem faciens in suo decreto mentionem *Alexandri*, in eodem sensu loquitur cum illo, uti notat *Carden. n. 29.*

51 §. 2. Propositio 17: ab *Innoc. XI* damnata est hæc: *satis est actum fidei semel in vita elicere.* Ex hac damnatione constat, necesse esse sæpius in vita elicere actum fidei: abstrahitur autem hic, an id necesse sit necessitate mediæ an præcepti; item an sit necesse per se ratione ipsius præcepti fidei, an autem per accidens ratione præceptorum spectantium ad alias virtutes, secundum dicta à n. 14. qualiscunque enim & undecunque sit ea necessitas sæpius eliciendi actum fidei, propositio damnatæ contradictoria est vera, nempe quod non sit satis semel actum fidei in vita elicere; & satisfiet præcepto fidei ex quacunque tandem causa vel occasione ponatur actus fidei: probabilius autem est præceptum fidei non obligare per se omni die festo, uti volunt aliqui; neque illis festis, quibus aliqua fidei mysteria celebrantur, uti alii volunt, quorum opinionem *Oviéd.*

cont.

cont. 7. n. 73. dicit passim rejici, non enim datur
 sufficiens fundamentum ejusmodi obligatio-
 num: est tamen obligatio illis temporibus, quæ
 breviter notat *Busenb.*; fusiùs *Sanch.* in Dec. l. 2.
 c. 1. Debere frequenter elici, probat multis ex
 Scriptura, PP: & ratione *Carden.* d. 11. à n. 51.,
 imprimis, quia dum nobis occurrit objectum à
 Deo revelatum, reverentia divinæ locutioni de-
 bita postulat, ut assentiamur: deinde quia non
 possumus diu permanere absque mortali, nisi
 frequenter nos excitemus per fidem & spem;
 quod etiam fatetur *Lug.* d. 13. n. 45.; & insinua-
 re videtur *Apost.* ad Rom. 1. v. 17. *justus autem ex
 fide vivit.* Denique quia tenemur continuo vivere
 christianè, hoc autem non facit, qui non credit
 frequenter, cum præcipua actio vitæ christianæ
 sit credere: Unde *Lug.* n. 23. dicit fidelem teneri
 toties repetere actum fidei, quoties satis sit, ut
 moraliter dicatur habitualiter scire objecta cre-
 denda & profiteri Religionem christianam: no-
 tantque communiter Authores, Episcopis, Pa-
 trochis, Doctoribus, Concionatoribus, Confes-
 sariis plura & magis explicitè esse credenda, quàm
 cæteris, quia non aliter poterunt suo docendi
 officio satisfacere, potestque de hoc videri *Con.*
 d. 14. d. 10. Hi tamen actus fidei concomitanter
 elici possunt, quando quis se signat cruce, audit
 Missam, recitat credo &c, uti n. 27: insinuatum
 est, hinc non est ratio, cur quis se ideo scrupulosè
 divexet (: quamvis consultissimum & maximè
 utile sit sæpe elicere explicitè & reflexè, ut n. 29.
 in fine dictum est:) & ideo *Lug.* n. 45. ait, cum
 materia honestè & inhonestè operandi frequen-
 ter occurrat, non esse dubitandum, quin homo,

qui fidem christianam toto corde amplexus est, plusquam sufficienter satisfaciatur præcepto fidei.

52 *Q. 11: An ille specialiter obligetur præcepto elicendi fidem, qui per hæresim vel aliud peccatum infidelitatis amisit habitum fidei.* *R.* Affirmat cum aliis multis *Ovied. cont. 7. n. 69.*, & probabiliter, si enim teneatur adultus, qui nunquam credidit, multò magis talis, qui fidem propriâ culpâ abiecit: tenetur autem de præfenti five primo quoque tempore, quia quando præcepta non determinant tempus, censentur obligare pro præfenti, uti l. 1. n. 587. dictum est. Cur autem non sit similis obligatio ad statim pœnitendum post peccatum, dicetur de pœnit: & videri potest *Arr. d. 12. à n. 23.*

53 *Q. 12. Quid addendum sit circa obligationem professionis fidei.* *R.* Hoc unicum, nempe præceptum, quo ex *Bulla Pii V.* tenentur facere professionem fidei omnes promovendi in Doctores, Magistros, Professores, à Congregatione Cardinalium extensum esse etiam ad eos, qui docent Grammaticam aliasque artes liberales, licet eas non tradant in scholis publicis, ideoque observari debet, ubi usu receptum est.

Q. 13: An præceptum affirmativum credendi sit naturale an positivum. *R.* In quantum obligat ex virtute fidei, dicunt *Hurt: & alii cum Ovied. n. 66* esse tantùm positivum divinum; docet tamen valde probabiliter *Lug. d. 13. à n. 2.* saltem obligationem juris naturalis esse, ut in communi credatur, quod Deus dicit, supposito quòd aliquid dicat, adeoque præceptum credendi esse etiam naturale, non eo sensu, quasi sequatur ex constitutione naturæ secundùm se consideratæ, sed
quia

quia connaturaliter sequitur ex constitutione ordinis supernaturalis, in quo Deus aliqua revelare debebat, uti rectè explicat *Maur: q. 144. n. 8.*, ratio enim dicitur, quòd reverentia Deo debita exigat, ut si loquatur, ei aliquàdo saltè credatur. Deinde in quantum fides prærequiritur ad spem, Charitatem vel Contritionem, ad quarum virtutum actus sæpe est obligatio ex jure naturæ, sic per accidens & ratione talium virtutum potest ad fidem esse obligatio ex jure naturæ. Denique præceptum addiscendi aliqua, etiam ex illis, quæ credi debent, v. g. Pater noster, Symbolum. Præcepta Decalogi & Ecclesiæ, numerum Sacramentorum, est præceptum ecclesiasticum, uti rectè *Az:*, hac tamen notiâ suppositâ est præceptum divinum illa credendi: quæ omnia pluribus deducit *Lug: à n. 153.*

C A P U T III.

An aliquando liceat exterius fidem veram negare, aut falsam profiteri.

Resp. Nullo casu licet, five voce, five alio signo fiat, dicente Christo: *qui me negaverit coram hominibus, &c.* Interim verò etsi licitum non est mentiri, seu simulare quod non est, licet tamen dissimulare quod est, five tegere veritatem verbis, aliisve signis ambiguis, & indifferentibus, ob justam causam, & cum non est necessitas fatendi, *Est com. S. Tho. Kon. di. 15. du. 2. nu. 9. Laym. l. 2. t. 1. c. 11. Unde resolvuntur.*

I. Rogatus de fide in odium religionis, five publicâ auctoritate, five privatâ, nullo modo potest, utendo restrictione mentali aut verbis

ambiguus, ita respondere, ut præsentibus videatur fidem negasse : multò minus dicere, se esse hæreticum, vel Calvinistam, vel non Catholicum. *Azor, Fill. tr. 22. n. 67.*

55. *cū sept.* II. Qui rogatus, seu privatâ, seu publicâ auctoritate, vel tacet, vel respondet obscure, vel ait se nolle respondere, se jure non rogari, non teneri se, nec velle aliis dicere, quid ipse credat, ac simili modo tergiversatur, non videtur negare fidem, sed nolle prodere : Unde si sic potest molestâ inquisitione liberari, licet, ut habet *Kon. l. c.* Generatim enim verum non est, quòd interrogatus auctoritate publicâ, teneatur positivè fidem profiteri, nisi quando id necessarium est, ne præsentibus videatur fidem negasse. *Kon. Nav. Azor. Sanch. Bec. c. 9. qu. 4.*

60. III. Non negat fidem, sed prodit, qui fugit : quod etsi liceat, non tamen Pastori, tunc cum ejus operâ oves indigent : uti contrâ, si eis consultius est, ut ad tempus se subducatur, & in bonum eorum reservet, tenetur fugere. *Regin. l. 17. n. 26. Bec. c. 9. Fill. n. 75. &c.*

IV. Si quo casu tacere esset negare, tunc id non liceret : v. g. si aliis rogatis, an fidem negare vellent, iisque respondentibus, quòd non, tu taceres. *Ibid. v. Bon. l. c. Lay. l. 2. t. 1. c. 11. Tol. l. 4.*

58.
64. V. Si princeps generali lege jubeat, ut fideles se prodant gestato signo, vel sistendo se, vel aliter, non tenentur ; cum nemo teneatur verum dicere, nisi specialiter rogatus. Excipe, nisi ex sint circumstantiæ, ut hoc ipso, quòd se non prodant, videantur fidem negasse : ut v. g. si quidam antea noti essent, & tunc ex hoc putarentur

rentur defecisse. *Sanch. Bec. Reg. Fill. n. 88. &c.* 30

VI. Cùm non rogaris de fide, non solùm licet, sed sæpe melius est ad Dei honorem & utilitatem proximi, tegere fidem, quàm fateri; ut si latens inter hæreticos plus boni facit; vel si ex confessione plus mali sequeretur, v.g. turbatio, necesse, exacerbatio Tyranni, periculum defectionis, si torquereris, Unde temerarium plerumque est offerre se ultro. *S. Tho. Sanch. Lay. 6. 11. num. 2.* 30

VII. Redimere pecuniâ, ne de tua fide fiat inquisitio, licitum est; & sæpe magna virtus discretionis est, vitam ad Dei gloriam servare, ac fidem tegere modis licitis. 30

VIII. Talis modus non est, uti vestibus aut signis infidelium, quæ alium usum non haberent, quàm quòd essent signa professiva falsæ religionis seu cultûs; uti essent vestes, quarum usus est in sacrificiis, item incensio thuris, aut genuflexio coram idolo: item sumptio cœnæ hæreticæ, &c. *Sanc. l. 2. c. 4. Fill. n. 7. 8. &c. & comm.* 30

IX. Licitus autem modus est, quando subest causa, (ut v. g. ad evitandum grave periculum, ad obtinendam victoriam, eludendos hostes) uti vestibus & signis infidelium, quæ alium aliquem usum habent quàm profitendæ religionis; quales sunt vestes talis nationis, (non religionis) quibus uterentur, etsi converterentur; ut sunt vestes, & signa nationis Turcicæ. Quod verum est, etsi sint vestes ipsorum religiosorum, dummodo non habeant peculiare signum profitendi erroris, sed sint tantùm indicium nitidioris cultûs, ut saga Prædicantium in Germania; vel eminentioris vitæ inter suos, ut togæ Bon-
ciorum

ciorum in Iaponia. Idem dicendum est de si-
 gnis, quibus Iudæi utuntur, v. g. flavo annulo
 in pallio, Francofurti, &c. quia hæc sunt signa
 merè politica, & distinctiva unius generis ho-
 minum ab alio, & non propriæ professivæ fidei;
 Quæ sententia probabilis est, v. *Sanch. 2. mor. c. 4.*
Bec. 2. 2. c. 9. q. 5. d. 6. Lay. l. 2. t. 1. c. 11. n. 4. Kon.
 contra *Caj. Navar. Toletum.*

63.

X. Licitus item modus est, cum Catholicus
 transit per loca hæretica, & periculum grave ei
 imminet vitæ v. g. vel bonorum, (non tamen, si
 derisio tantum, vel vexatio, ut habet. *Bec. c. 9.*)
 ad dissimulandam fidem, vesci carnibus die
 prohibito; quia præceptum Ecclesiæ non obli-
 gat sub tali periculo: Neque hoc est fidem ne-
 gare, cum esus carniæ non sit institutus ad
 professionem religionis; & Catholici etiam ma-
 li, & gulosi id faciant. Si tamen ex circumstan-
 tiis fieret signum professivum fidei, ut si v. g. in
 odium fidei convivæ statuerent, ut qui est hostis
 fidei Pontificiæ, comedat carnes; peccaret con-
 tra fidem, qui ederet sine protestatione: secus,
 si protestaretur. *Bon. Azor. Bec. & com. l. c.*

65. 66.

XI. In Germania audire conciones hæretico-
 rum, deducere funus, assistere baptismo pro pa-
 trino, non habentur signa professivæ fidei, vel
 communionis cum hæreticorum sacris. *Fill. n.*
85. Azor. Sanch. ll: cc. Unde seclusis aliis, v. g.
 scandalo, periculo, prohibitione, &c. si ex justa
 causa fiant, licent. Imò patrinum fieri talis in-
 fantis, videtur potius optandum, seclusis aliis,
 quia non est aliud, quàm obligare se ad eum o-
 lim erudiendum in fide Catholica.

XII. Infidelium & hæreticorum sacris non li-
 cet

cet ita interesse, ut eis communicare censearis; ^{cc}
 alioquin licet, v. g. ut quis spectet tanquam co-²³
 mœdiam, aut famulatum præstet politicum do-²⁸
 mino suo, exemplo Naaman Syri, de quo *v. Bec.*²²
Fill. Sanch. l. c. Lay. l. 2. t. 1. c. 11. ²⁰

XIII. Si Princeps hæreticus mandet sub gra-²⁰
 vissima pœna omnibus subditis, adire concio-²⁰
 nes hæreticorum, etiamsi verbis dicat, se hac re²⁰
 aliud nihil exigere, quàm obedientiam civilem.²⁰
 nec velle cogere, ut à fide discedant; cùm tamen²⁰
 re ipsa contrarium velle videatur, (nam obedi-²⁰
 entiam suorum aliter exercere potest) & hæc²⁰
 res ex se apta fit Catholicos paulatim perverte-²⁰
 re, & insuper conciliare auctoritatem hæresi, ac²⁰
 vilipensionem veræ fidei, non licet obedire. At-²⁰
 que ita bis rescripsit Anglis *Paulus V.* apud²⁰
Sanch. l. 2. c. 4. n. 27. Fill. n. 86. & Azor. ll. cc. ²⁰

XIV. Catholici viventes inter hæreticos, si ex²⁰
 præcepto Magistratûs contrahant Matrimoni-²⁰
 um coram ministro hæretico, peccant contra²⁰
 fidem; etiamsi contraxerint antè, vel contractu-²⁰
 ri sint postea coram Sacerdote Catholico. *Kon.*²⁰
*d. 15. d. 3. Palaust. 4. d. 1. p. 12. num. 12. 13. 14.*²⁰
 testaturque contrahens cæremoniâ illâ, se illum²⁰
 agnoscere veræ fidei Ministrum, quæ sunt in-²⁰
 trinsecè mala, *Mald. 2. 2. q. 2. a. 3.* quia auctoritas²⁰
 Ministri, & consequenter doctrinæ ejus augetur²⁰
 concurraturque ad ritus hæreticos, quos Mini-²⁰
 ster isto actu exercet: Licitè tamen contrahunt²⁰
 coram Magistratu civili, vel potius testantur se²⁰
 contraxisse, modò priùs vel posteriùs ritu Ca-²⁰
 tholico contrahant; quia hæc actio est instituta²⁰
 ad finem politicum, ut conjuges habeantur, &²⁰
 proles non censeantur illegitimæ. ²⁰

A D.

A D D E N D A.

55 Q: 14. Quid notandum sit circa propositiones hic damnatas : &c. Seqq. In Concilio Romano sub Cornelio Papa (: uti habet *Baron.* ad annum 254.) damnata est hæc propositio tanquam hæretica contra Elifaitas, licitum est exterius fidem negare in stante persecutione, & sufficit eam in animo suo interius retinere. Anno 1679 *Innoc. XI* damnavit hanc propositionem 18., si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo & fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno. Pro cuius explicatione, ne quis occasionem errandi habeat ex doctrina *Busenb. ad n. 2.*, notanda sunt aliqua ex *Carden. d. 12.*

56 §. 1. Sensus propositionis ab *Innoc.* damnatæ est hic: quando quis à publica potestate interrogatur de sua fide, per se loquendo non peccat, si fileat: Hic sensus est falsus & damnatus: è contra verissimus est iste sensus contradictoriè oppositus, quando quis à publica potestate interrogatur de sua fide, per se loquendo peccat, si fileat, quamvis per accidens possit non esse peccatum. Ratio autem primæ partis est, quia quando quis interrogatur à potestate publica, cum illam non audeat eludere, dicendo v. g; quid ad te? cur me interrogas? si fileat, illud silentium non tam erit contemptus personæ interrogantis, quàm fidei, unde filens in illis circumstantiis, per se & regulariter, dat signum, vel negatæ fidei, vel suæ erubescentiæ ob fidem, vel timoris pœnæ, ob quem nolit in circumstantiis ita fidei præjudicantibus confiteri Christum, aut saltem communiter

munitur dat grave scandalum , adeoque per se est illicitum tale silentium : id exprimit *S. Thom.* 2. 2. q. 3. a. 2. his verbis , *confiteri fidem non semper nec in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco & tempore , quando scilicet per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo , & etiam utilitas proximis impendenda , puta , si aliquis interrogatus de fide taceret , & ex hoc crederetur , vel quod non haberet fidem , vel quod fides non esset vera , vel alii per ejus taciturnitatem averterentur à fide : addit ad 1. , dicendum , quod finis fidei , sicut & aliarum virtutum , referri debeat ad finem Charitatis , qui est amor Dei & proximi , & ideo quando honor Dei vel utilitas proximi hoc exposcit , non debet esse contentus homo , ut per fidem suam ipsi veritati divinæ jungatur , sed debet fidem exterius profiteri. Ratio 2. partis est , quia posset per accidens & in casu rariore non esse illicitum filere , si nempe nullum ejusmodi inconveniens sequeretur ex illo silentio : imò possunt dari multi casus , in quibus filere fit confiteri fidem , v. g. si interrogatus de fide in Christum fileat , & crucifixum reverenter osculetur , aut suum collum exporrigat gladio ; item si duo interrogentur , an sint catholici , & unus respondeat , sumus , alter verò fileat , vultu , uti antè , composito ; item si interrogatus taceat & rideat ad verba minasque Tyranni ; tale illorum silentium est virtualis confessio fidei , unde non est damnatum , quòd in ejusmodi casibus licitum sit filere.*

§. 2. Si quis taceat interrogatus à persona privata , pari modo peccat , si hoc silentium sit fingnum negatæ fidei , vel erubescentiæ de confitenda fide , vel infirmi timoris , vel si per hoc detur scandalum ; negare enim fidem , vel eam erubescere,

scere, aut dare signum timoris tanti, ut potius quis vellet fidem quam vitam relinquere; item proximo dare occasionem ruinæ, hæc omnia sunt intrinsecè mala, neque pro hoc est disparitas, siue persona publica interroget siue privata: & hoc vult *S. Thom.* ad 2., ubi universaliter sic ait, *in casu necessitatis, ubi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium siue confirmationem, vel ad reprimendam infidelium insultationem.* Quia tamen filere ad interrogationem personæ privatæ saepe potius est contemptus personæ quam fidei ipsius, hinc quandoque fileri poterit, si tacitè vel expressè significetur hic contemptus personæ interrogantis & non fidei ipsius, unde poterit dicere, quid ad te? aut etiam omnino filere, contemptum ridendo, quasi diceret, non habes jus interrogandi.

58 §. 3. Si potestas publica decretum faciat in odium fidei, ut qui sunt Catholici, se sistant & manifestent, manet probabile cum *Busenb.*, quòd Catholici non teneantur se sistere, nam licet ibi sit decretum potestatis publicæ, tamen non censetur esse interrogatio, nisi persona nominatim & in particulari rogetur, quia nemo propriè in generali interrogatur: sic autem vocatus propter odium fidei non tenetur obedire, ita *Suar. Lug. Con. & Castrop.*

59 §. 4. Si quis interrogetur, non in odium fidei, sed in odium personæ, quam interrogans vult vexare, *Con: Lorca & Castrop.* d. 1. p. 14. n. 3 dicunt, dummodo non censeatur negare fidem, nec det scandalum, posse filere ac dissimulare, quia ibi non agitur causa fidei, nec patitur Dei honor, nec

nocetur

nocetur proximo; & parum faceret ad positivum Dei honorem, si in his circumstantiis manifestarem me esse catholicum: è contrà si potestas publica interroget in alium finem honestum, uti si in Belgio interroget Princeps Catholicus Titium, an sit catholicus, volens eum promovere ad aliquod officium, Titius tenebitur fateri, quia quamvis hæc interrogatio non fiat in odium fidei, tamen agitur causa fidei. Vide *Carden. n. 37.* Possunt etiam de illis omnibus videri *Arr. d. 21. l. 2. & 3. Ovied. cont. 8. p. 3. Lug. d. 14. à n. 37.*

§. 5. Objici hìc solet: potest quis etiam publicà auctoritate interrogatus declinare confessionem fidei per fugam, ergo etiam per silentium. *R. N. Conf.*, fugiendo exercitè fatetur fidem, non item filendo.

Inst. Talis interrogans non est legitimus Judex respectu quæstionis fidei, ergo non est obligatio illi respondendi. *R. N. Conf.*, cùm enim communiter habeatur pro habente auctoritatem publicam, debet ut talis respici ac honorari, & aliàs sequeretur idem despectus Dei, negatio fidei, scandalum proximi: Adde, quòd saltem de fatenda tum fide sit speciale præceptum Dei, uti nobis declaravit Ecclesia.

Q. 15. *Quando nam præterea censeatur vel non censeatur quis negare fidem.* *R. §. 1.* Si quis neget se Papistam aut Romanistam apud eos, qui per illa nomina intelligunt sectatorem fidei Ecclesiæ Romanæ, censeatur implicite negare fidem, uti cum communi *Steph. tr. 3. d. 1. n. 38.*; an autem hìc pro diffimulanda fide licitum sit uti verbis ambiguis, nõ cõveniunt Authores, negat *Veriuis in past. miss. t. 3. a. 2. & Arsdek. t. 2. p. 3. t. 3. q. 5.*

E

quia

quia est contra honorem Dei, veritatem fidei, & Ecclesiæ auctoritatem, permittere se apud audientes haberi pro hæretico. *Conf:* nam qui verba ambigua proferret, quæ apud audientes significarent blasphemiam aut contumeliam, licet ipse alium sensum in mente haberet, tamē deberet censeri blasphemus & contumeliosus, ac ipsa læderet honorem Dei & proximi, ergo hic à pari censeri deberet hæreticus, & re ipsa peccaret contra fidem. Oppositum tenent *Sanch.* in Dec. l. 2. c. 4. n. 6. *Azor, Ban: Nav: Con. Suar. Laym: Fill: Tann: Marchant: Sangall: Reiffenst:* cum *Castrop.* d. 1. p. 13. n. 4., qui dicunt ex gravi causa licere hic uti verbis ambiguis seu æquivocis, ac etiam restrictione non purè mentali, sicut ista quandoque licita sunt in aliis materiis, supponendo semper, quòd non ideo negetur fides, nec patiatur debitus Deo honor, nec detur scandalum proximo, sicque tantum permittatur error in audientibus; sed hæc omnia difficulter adierunt: unde non videtur audiendus *Gobat* t. 11. n. 609. neque ejus *vindex*, dicentes catholicum à Calvinista interrogatum, an sit reformatæ religionis; aut à Lutherano, an sit Evangelicæ, posse affirmare, quia religio catholica est in multis reformatæ, etiam per *Trid:* de Reform: & revera est Evangelica, *Contrà* enim est, quòd hic circumstantiæ simul significant interrogari de reformatione Calviniana vel Evangelica, id est, Lutherana fide, ergo id affirmare non potest. Vide tamen *Vind: Gob:* prop. 20., qui conatur excusare.

62 §. 2. Qui testimonia, salvos conductus aut alias immunitates obtinent, ideo validas vel utiliores, quia in illis exprimitur, quòd sint Religionis

gionis alterius à Romana, moraliter negant fidem & simulant falsam Religionem, ideoque peccant mortaliter, uti rectè *Pet. March. t. 2. t. 2. t. 2. f. 5. q. 3. d. 2. & Veriuis a. 12.*

§. 3. Sive generaliter sive in particulari mihi 63 præcipiatur, v. g. ut claudam officinam & abstineam à servilibus, die, quo acatholici habent festum vel preces, si adsit metus gravis damni, obedire possum, quia per hoc non censeor approbare festum vel finem extrinsecum illorum, ita *Less. in Auct. V. Hereticus cas. 9. Veri. a. 17.*; similiter si etiam publico edicto præcipiatur, ut omnes omnibus diebus comedant carnes, posito quòd edictum non fiat in contemptum fidei vel Religionis, sed tantum ad deprehendos Catholicos, potero diebus prohibitis comedere carnes, ut rectè *Veri. a. 14.* tum enim non censeretur fieri in contemptum fidei, sed ad licitam occultationem personæ.

§. 4. Si aliquis, v. g. ebrius in navi, in qua sunt 64 Catholicos, stricto ense dicat, si quis hìc ex vobis est Catholicus, surgat, à me statim occidendus; rectè cum aliis resolvit *Sanch. n. 6.* neminem, per se loquendo, teneri se prodere, cum nemo censeatur interrogari, secundum dicta n. 58.

§. 5. Si acatholicus sit baptizaturus prolem 65 acatholici *Sanch. Az. Navar. Ledes. Hurt.* putarunt esse illicitum pro Patrino interesse baptismo, sed oppositum est tenendum cum *Laym. l. 5. t. 2. c. 9. n. 6.*, & rationem habet *Busenb.*

§. 6. *Lessius V. Baptismus cas. 1.* docet, non li- 66 cere deferre infantem ad Ministrum acatholicum, ut ab hoc baptizetur, quia sic videtur profiteri illum esse legitimum Ministrum Ecclesiæ;

sed in hoc attendenda est consuetudo patriæ , nam per illam delationem, per se loquendo, tantum proficitur illum esse Ministrum sufficientem ad baptismum validè conferendum , quod verum est : Unde *Lug. d. 14. n. 161.* dicit ob necessitatem gravem excusari posse cooperationem ad petendum baptismum ab hæretico, quæ necessitas ad minus debeat esse tanta, quanta sufficeret, ut posset peti à laico : & reipsa in periculo gravis damni non videtur illicitum, dummodo ea delatio non censeatur esse agnitio Ministri acatholici tanquam personæ sacræ , uti insinuatum est.

67 §. 7. Etiam licitum est honoris vel amicitiaë causâ interesse matrimonio acatholicorum contrahendo coram acatholico Ministro, uti habent *Mald. Con: Hurt. Lug. n. 156. Steph. n. 48. Lessius* quidem *V. Hæreticus* cas. 26. ait non licere adire convivium nuptiale hæreticorum, aut munera dare ad gaudendum vel congratulandum de conjunctione, eò quòd hæc sit irrita, sed ista ratio *Lessii* non tenet ubique , nam ubi *Tridentinum* non est receptum, aut ubi contra illud præscriptum est, talia matrimonia valent, uti suo loco dicitur ; & universim ista licebunt saltem honoris vel amicitiaë causâ. *Conf.* nam *Lessius* ipse cas. 25. & *Gob. t. 9. n. 474* excusant illos Catholicos, qui pro contrahendo matrimonio ex gravi causa coguntur comparere coram Ministro acatholico, non ob religiosam aliquam ceremoniam, sed purè ob causam politicam, ita ut Minister hic non habeat se veluti Ministrum Ecclesiæ, sed tantum sit veluti persona sæcularis, coram qua contrahentes testentur se matrimonium inire, uti testari possunt coram Magistratu acatholico, ne

eorum

eorum matrimonia in foro externo censeantur illegitima : notant tamen rectè cum *Busenb*: ejusmodi Ministros plerumque comparere tanquam personas sacras, hinc plerumque illicitum esse sic contrahere coram illis : proclamationes tamen, si absit scandalum, fieri possunt in eorum templis, uti & fiunt proclamationes aliorum contractuum.

§. 8. Rectè notat *Less*. cas. 10 & 11., non esse 68
licitum in templis aut conviviiis acatholicorum eorum Psalmos simul canere : item non licere in eorum templis pulsare organum aut alia instrumenta, quia in his videtur esse publica approbatio vel scandalosa communicatio in sacris: si quis tamen pulset organa aut campanas eo tantum tempore, quo ibi congregantur Cives aut Mercatores tractantes de negotiis sæcularibus vel commerciis nullum erit peccatum, uti rectè *Arsdek*. p. 2. t. 6. q. 9. *Layman* quòque l. 2. t. 3. c. 13. n. 5 excusat eum, qui pulsat apud eos organum, aperit templum, si antea fuerit Ædituus, & volens se convertere statim non possit ab eo officio discedere ob gravem necessitatem, dummodo signo prodat se illa facere, ut actiones indifferentes sunt, non autem ut ordinantur ad exercitia acatholica : sed etiam in hoc contradicit *Veriuis* a. 9.

§. 9. Qui externè fingit, ac si dubitaret circa 69
aliquem articulum fidei, ne per hoc aliis displiceat, peccat contra fidem, quia externè negat certitudinem fidei, adeoque dicit dubiam, quod est graviter injuriosum divinæ auctoritati.

§. 10. Licitum est promoveri ad gradus ju- 70
ris, medicinæ, artium, in Universitatibus aca-

tholicis, dummodo nihil promittant contra fidem aut bonos mores. ita *Less. Arsdek.* q. 33.

Plura his affinia addentur à n. 95. Et speciatim circa occultationem fidei per gestationem vestium, esum carniū &c.; de quibus *Busenb.* habet breviter, videri possunt *Lug. d. 14. f. 5. Pennaf. d. 9. f. 4. Ov. cont. 8. p. 4. & seqq. Castrop. d. 1. p. 17. Dian. p. 5. t. 7. R. 33. 34.* videndus tamen simul *Veriuis a. 11.*

CAPUT IV.

De infidelitate, & vitiis Fidei oppositis.

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex sit infidelitas.

- 71 **R**esp. I. Infidelitas generatim est triplex. *Pri-*
ma dicitur Negativa, eorum scilicet, qui ni-
 hil unquam de fide audiverunt. Quæ non tam
 est peccatum, quàm pœna peccati; quia si fe-
 cissent, quod in ipsis erat, Deus fidem eis non
 abscondisset. *Secunda* dicitur contraria, eorum
 scilicet, qui fidem sibi sufficienter propositam
 vel contemnunt, vel ei contradicunt pertinaci-
 ter; ut hæretici. *Tertia* dicitur privativa, quæ pri-
 vativè opponatur fidei; & est culpabilis igno-
 rantia, vel error circa res fidei. *S. Tho. Sanch.*
Vasq. Lay. l. 2. r. 1. c. 12.
 Resp. II. Infidelitas Contraria, ex triplici
 modo repugnandi fidei, est triplex, scilicet Pa-
 ganismus, qui fidei nondum susceptæ; Iudaï-
 mus,

mus, qui fidei susceptæ in typo ; & Hæresis , quæ
fidei susceptæ in veritate , repugnat. Apostasia à
fide revocatur ad hæresin , à qua tantum differt,
quòd Hæresis sit error fidei ex parte tantum
contrarius ; Apostasia verò ex toto. *S. Thom.*
Laym. l. c.

A D D E N D A.

Q. 16. Quando nam deficiat fides in aliquo. R. Re- 72
jectis erroribus, dicemus, quod verum est:

§. 1. Lutherus docuit fidem amitti per quod-
libet peccatum mortale , sed damnatur à *Trid.*
sess. 6. c. 15. Alii putârunt , si desit charitas etiam
deesse fidem , sic *Jansenius I. 5. de gratia Christi c.*
6. col. 5 10 ait nullam *Augustinus agnoscit fidem ve-*
ram atque christianam , nisi ex Dei charitate dimanet.
Repetit c. 7. col. 5 16. nisi amor flectat hominem ad
credendum , non esse veram fidem christianam. Similia
habent alii Doctores Lovanienses: sed *Contra* est,
vel loquuntur de fide habituali, vel de actuali ; si
de habituali , damnantur in *Trid. Can. 28. si quis*
dixerit amissâ per peccatum gratiâ (: seu charitate :)
simul & fidem semper amitti ; aut fidem, quæ remanet,
non esse veram fidem, licet non sit viva ; aut eum, qui fi-
dem sine charitate habet, non esse christianum , anathe-
ma sit. Si loquantur de actuali , damnantur ab A-
postolo. 1. ad *Cor. 13. , si habuero omnem fidem, ita*
ut montes transferam , charitatem autem non habuero,
nihil mihi prodest. Hinc *S. Aug. l. 15. de Trin. c. 18. ,*
fides juxta Apostolum sine charitate esse potest. Da-
mnantur etiam ab *Alex. VIII.* in hac propositio-
ne 12 : , quando in magis peccatoribus deficit omnis a-
mor , deficit etiam fides ; & etiam si videantur credere ,
non est fides divina sed humana. Ratio est, quia po-

test homini non habenti Charitatem evidenter proponi authoritas Dei interposita, v. g. pro Incarnatione, hic homo poterit ex eo motivo firmissimè assentiri, assensus autem ille non erit nisi fidei divinæ, cum moveatur authoritate Dei, ergo sine Charitate potest dari assensus fidei divinæ. Idem apertè significat *Trid.* c. 6., ubi exponens modum, quo etiam magni peccatores disponuntur ad justificationem, dicit primò excitari ad fidem ex auditu concipiendam, tum terri metu pœnarum, deinde per spem converti ad Dei misericordiam, denique incipere illum diligere tanquam omnis justitiæ fontem ergo ex mente *Trid.* priùs creditur, quàm diligatur Deus.

73 §. 2. Fides amittitur per peccatum infidelitatis, uti habet *Trid.* c. 15.; per infidelitatem autem communiùs intelligitur peccatum mortale, quod est directè contra fidem, & opponitur objecto formali illius: Unde probabile est non amitti per ignorantiam fidei etiam crassam & affectatam, quamvis per eam peccetur mortaliter contra fidem, quia non est simpliciter infidelitas opposita objecto formali fidei.

74 Q: 37. *An omnes actiones Infidelium sint peccata.*
R. Id docuit *Jans.* l. 3. de gratia Christi c. 2. col. 306. probavimus fusè in præcedentibus nullum opus, quod non sit peccatum, ab infidelibus posse fieri. Idem habet c. 21. col. 306. secuti sunt *Sinnichius* & alii: sed Contrà est, nam inter propositiones Bajanæ damnatas à *Pio V. Greg. XIII. Urb. VIII* est hæc 25; omnia opera Infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia: Erat autem aliquorum fundamentum, quia omnis actio peccatoris est peccatum, sed inter easdem Bajanæ damnatas est

est hæc 35. omne, quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est. 40: In omnibus suis actibus peccator servit dominantī cupiditati. Similiter inter damnatas ab Alex. VIII hæc est 8: , necesse est Infidelem in omni opere peccare. Conatur quidem Sinnichius ostendere aliqua opera Infidelium posse esse bona, eò quòd possit eis lux à Deo immitti, per quam ad Deum opus dirigant, sed neque hoc negat Bajus, in cuius sensu damnata est propositio: itaque dicendum, non omnia opera Infidelium esse peccata, quia possunt ex fine honesto elicere actus, v. g. succurrere miseris, obedire Parentibus &c., quæ nemo prudens dicet esse peccata: hinc inter Bajanæ damnata est hæc 37: , cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex natura solis omnibus ortum ducit, agnoscit.

Opponunt S. Aug. l. 4. contra Julia: c. 3., qui 75
Juliano quærenti, si Gentilis nudum operuerit, nunquid quia non est ex fide, peccatum est? respondet: prorsus in quantum non est ex fide, peccatum est, non quia per se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est, sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum. R. S. Thom. 2. 2. q. 23. a. 7. ad 1. rectè sic explicat, actus Infidelis, in quantum est Infidelis, semper est peccatum, etiamsi nudum operiat vel quidquid aliud huiusmodi faciat, ordinans ad finem suæ infidelitatis. Similiter S. Aug. eo sensu virtutes Philosophorum vocat vitia, quo opus carens fine debito & necessario dicitur defectuosum seu vitiosum.

Q: 18. Ancertum sit, quòd infidelitas purè nega- 76
tiva sit inculpabilis. R. Esse certum, nam etiam inter Bajanæ est hæc 68. Infidelitas purè negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

Ratio autem est , quia certum est omne peccatum debere esse voluntarium , ergo cum infidelitas negativa nullum habeat adjunctum actum voluntatis, qui intendat vel negligat eam removere , certum est non esse peccatum. Quæ contra objici possent , abundè soluta sunt l. 1. à n. 720. & 727.

77 *Q. 19. Quam potestatem habeant Ecclesia & Principes Catholici circa Infideles. R. §. 1.* Ecclesia secundum Cap: *Gaudeamus*, de divortis , non habet directam potestatem in Infideles non baptizatos, nam Christus dedit Petro potestatem tantum in Oves ingressas ovile, ideoque etiam *Trid. s. 14. c. 2.* dicit Ecclesiam non posse in illos exercere Judicium, secundum illud *1. ad Cor. 2. quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* & consequenter nec poterit eos punire. *Si Dicas*, posse defendi jus innocentis & vindicari injuriam ipsi factam, ergo etiam posse Ecclesiam defendere jus, quod habet Deus, ne offendatur, & vindicare injuriam per peccatum factam. *R.* Tum tantum potest defendi jus & vindicari injuria innocentis, quando innocens hoc vult, vel saltem permittit; Deus autem potens ipsemet defendere & vindicare, id non permittit hominibus passim, ne dentur occasiones perpetuorum bellorum & confusio-
num.

78 *§. 2.* Omnes baptizati possunt etiam per poenas adigi ad fidem catholicam profitendam, sunt enim subditi Ecclesie, maximè quoad ea, quæ salutem spectant. *Nec obstat*, quòd fortè nunquam crediderint, nam re ipsa per baptismum ingressi sunt Ecclesiam, & subjecerunt se ejus potestati ac legibus. Econtra non baptizati, nec subjecti

Prin-

Principibus fidelibus, non possunt cogi ad fidem, quòd enim *Christus* Luc. 14. voluerit invitatos compelli intrare, explicat *S. August.* de hæreticis, in quos jurisdictionem habet Ecclesia.

§. 3. Cogi possunt non baptizati, ut ne impediant prædicationem fidei, ad quam per universum mundum prædicandam jus à Christo accepit Ecclesia *Math. & Marc.* ult. Probabilius quòque est cum *Suar. Hurt. Arr. Lug.* d. 9. n. 54. *Heri:* d. 9. q. 4. posse non baptizatos, v. g. Judæos à Principe fideli cogi ad audiendam prædicationem fidei Christianæ, sic enim coguntur Romæ per *Constit: 9: Greg. XIII. Sancta Mater Ecclesia.* Ratio est, quia Princeps potest mandare ea, quæ sunt licita & honesta, ac conducunt ad politicam gubernationem, seu ad concordiam & pacem communem, quale quid est communis professio ejusdem veræ Religionis: Unde & poterit Princeps prohibere eis omne exercitium falsæ Religionis. An autem possit directè cogere ad fidem, dubium est, negant *S. Thom.* q. 10. a. 8. & 12. *Suar.* d. 18. f. 3. *Castrop.* d. 2. p. 6. Alique communiùs, maximè cum sit contra usum Ecclesiæ, & id prohibeatur expressè, saltem de Judæis. Affirmant tamen non improbabiliter saltem de aliis Infidelibus *Scotus & Scotista* cum *Herrin:* n. 46., quia Princeps potest adigere subditos ad ea servanda, ad quæ Jure divino & naturæ tenentur, sed jure divino & naturæ tenentur acceptare veram fidem, ergo.

§. 4. Potest, imò tenetur Princeps omnes subditos etiam non baptizatos cogere, ut relinquunt errores & vitia, quæ sunt contra naturam, uti sunt

sunt Idololatria, blasphemia &c.; prius illa prohibendo per leges, & postea puniendo transgressores: Ratio est, quia tenetur subditos dirigere ad finem gubernationis naturalis, qui est vivere secundum rectam rationem, contra quam sunt tales errores & vitia, quæ præterea maximè dehonestant Remp., uti pluribus *Lugo*. n. 116. & *Herin*. q. 5., Si tamen illi infideles non sint subditi, communis est sententia non posse cogi, quia in illos nullam habent jurisdictionem, neque Ecclesia neque Principes Catholici; poterunt tamen etiam armis impediri à peccatis, quæ sunt nociva innocentibus, saltem si hi permittant: Item quæ sunt injuriosa Religioni, quia defensio innocentum & fidei est illis licita, uti rectè cum aliis *Herinx* suprà.

§. 5. Principes Infideles non baptizati non possunt privari Jurisdictione in eos, qui fideles sunt, aut se ad fidem convertunt, Ecclesia tamen prohibet, ne Princeps Christianus Infidelem præficiat Infidelibus cap. *cum sit nimis*, de Judæis & Saracenis: Posse autem Infidelem privari dominio proprietatis in fideles veluti servos, idque ob honorem fidei, quamvis abesset periculum perversionis, docent *S. Thom.* a. 10. *Bann. Lorc.* & Alii, negant *Nav. Covarr. Suar.* & Alii communiter, nullibi enim legitur hanc potestatem esse Ecclesiæ concessam: possent tamen Fideles, si eorum fides periclitaretur, aut si in exercitiis fidei paterentur injuriam, excutere tale servitium, imò jus positivum suprà privat infidelem subiectum Christiano Principi dominio servi, hoc ipso quòd hic fiat Christianus, quæ omnia pluribus deducunt *Lugo* & *Herinx* q. 6.

DU.

D V B I V M II.

De Judaismo.

*Queritur hic tantum, quæ communicatio cum
Iudæis sit interdicta Christianis.*

Resp. I. His casibus; qui colliguntur ex c. 22 § 2
*Nalli.c. Judæi &c. De Judæis, 1. Non licet coha-
bitare. 2. Nec conviviis interesse. 3. Nec uti com-
muni balneo. 4. Nec medicos adhibere. 5. Nec
medicinas ab iis datas recipere; emere tamen
licebit præscriptas, 6. Nec Iudæorum filios e-
nutrire in ipforum domibus. 7. Iis non famula-
ri. 8. Nec servitute subijci. 9. Prohibentur pu-
blicis officiis inter Christianos fungi. 10. Vetu-
tum est eorum azymis vesci. Quibus addit A-
cor, prohibitum esse, accedere ad eorum nu-
ptias, festa, Synagogas, cum eis ludere, saltare
&c. Ratio horum est, tum ut conservetur digni-
tas Christianæ religionis, tum ut caveatur fa-
miliaritas cum Iudæis, & periculum perversio-
nis, v. *Lay. l. 2. t. 1. c. 17. Sanch. l. 2. c. 31. Fill. tr. 22. num. 128.**

Resp. II. In decem dictis casibus communica-
tio cum Iudæis, ex genere suo videtur esse mor-
tale. Ratio, quia si Clericus id faciat, incurrit pe-
riculum depositionis: Laicus verò excommu-
nicationis: (: *Cap. Constituit, 17: q: 4:*) quæ non
nisi ob peccatum mortale imponi solet. Dixi-
tur ex genere suo; quia probabile est, vel ob mate-
riæ

riæ

»riæ parvitatem, vel ob necessitatem, aliamve
 »causam rationabilem (si tamen non sit pericu-
 »lum perfidiæ, nec familiaritatis cum Judæis)
 »sæpe excusari à mortali, aliquando etiam ab o-
 »mini peccato. *Ita communiter. v. Auth. supra cit.*
 »*Et Bon. d. 3. q. 2. p. 6. item Laym. l. c.*

A D D E N D A.

83 Q. 20. Quomodo intelligenda sint ea, quæ pro-
 hibentur in Jure circa communicationem cum Judæis.

R. Non prohibetur omnis communicatio, hinc
Pet. March. t. 2. t. 2. t. 2. f. 3. q. 4. ait: Certum est
leges omnes antiquas conversationem Judæorum pro-
hibentes, modò secundum omnes suas partes non esse in
usu ubique.

§. 1. Si absit periculum irreverentiæ, potest
 Judæo dari panis benedictus, aqua benedicta
 &c.; Item potest Judæus invitari ad concionem
 aut Missam, si per hoc sit spes eum convertendi:
 ita *Lugo & alii cum Steph. t. 3. d. 1. n. 43.*

84 §. 2. Non est prohibitum habere servos aut
 conservos Judæos, ita *Suar. Sanch. Bonac.* Putat-
 que *Con.*; quando Fidelibus prohibetur habitatio
 cum Judæis, intelligi solum habitationem,
 in qua Christianus sit subditus Judæo.

§. 3. Non peccat Christianus, qui vel invita-
 tus à Christiano vel etiam casu concurrens in
 eadem mensa comedit cum Judæo, licet à Ju-
 dæo cibos acciperet, nam nec est invitans illum
 nec invitatus ab illo, ita *Sanch. & Bonac.* Addunt
Az. & Con. illam tantum comestionem cum Ju-
 dæo prohiberi, in qua Judæi discretionem ci-
 borum observant secundum legem Mosaicam.

§. 4. Tum tantum prohibitum est cum Ju-
 dæo

deo balneum, si hoc fiat ex condicito & per modum societatis, non autem si alter sequatur nesciens de altero, uti *Steph: supra*.

§. 5. In casu gravis necessitatis semper fuit licitum uti Judæo Medico, v. g. si hic est notabiliter doctus, vel morbus indigeat multis Medicis & Christiani non sufficiant, ita *Sanch. Bonac. Suar. Con. & Alii. Marchant. supra* ait, videmus passim Medicos Judæorum ad infirmos vocari, etiam per ritos & probos: per receptionem autem medicinarum putant *Suar. Sanch. & Bonac.* tantum prohiberi illas, quas Judæi per manus & ministerium suum præstant, uti sunt, si Judæus venam incidat Christiano, aut ipsemet medicinas applicet velut Chirurgus, hæc tamen licent in gravi necessitate: uti semper licet permittere, ut à Judæo sibi radatur barba vel capilli & similia, hæc enim nullibi prohibentur. Probabilius quoque est contra *Sanch.*, quòd Christiano liceat medicinas adhibere Judæo, quia prohibitio non est extendenda ultra casus in Jure comprehensos.

§. 6. Tantum prohibitum est famulari Judæo, 86
habitando in propria domo Judæi, illi enim soli propriè dicuntur famuli, ita *Bonac. Con. & alii* contra *Sanch.*, hinc licebit extra domum famulari Judæo, v. g. conduci ad operas, esse colorem vel agricolam etiam originarium, hi enim propriè non sunt servi, ita *Laym. l. 2. t. 1. c. 16.* item licebit die Sabbathi eos adire & illis loquere.

§. 7. Illa sola comestio Azymorum est prohibita, quæ ritu Judaico fit, id est, quæ fit ex observatione legis Mosaicæ; & illa, ex qua hoc scandalum 87

dalum

dalum posset generari, ita *Suar. & Con.*

- 88 §. 8. Non licet Christiano facere Judæum hæredem vel legatarium, quamvis esset consanguineus, ita *Silv. Suar. Sanch. & Alii, Con.* tamen notat attendendam esse consuetudinem.
- 89 §. 9. Ea solum familiaritas cum Judæo prohibetur, ex qua periculum perversionis vel scandalum timeri potest, uti communiter habent Authores; licitum est autem Christianis in fide confirmatis, qui in conversionem Judæorum incumbunt, cum Judæis familiariter agere & cibum capere, quia hic non est periculum perversionis, cum in fide stabiliti sint, uti suppono; neque scandalum, cum fiat ad eos convertendos, ita *S. Thom. Sanch. Laym. & Alii.*
- 90 §. 10. Illæ prohibitiones de Judæis non sunt extendendæ ad omnes Paganos, neque ad alios casus vel contractus in Jure non expressos, quia prohibitio, utique odiosa, non est extendenda extra verba legis, ita *Sanch. & alii*: hinc non est prohibitum accedere ad nuptias spectandas, vel festa, vel ritus in synagoga, si absit periculum perversionis & scandalum, hæc enim in Jure non prohibentur, uti nec ludere vel saltare cum Judæis, licet contrarium putet *Azor* citatus à *Bussenb.* Hactenus relata docet & latè probat *Castrop. d. 2. p. 9.*
- 91 §. 11. Notat *March. Reg. 2. & 3.* etiam illicita esse Christianis hæc duo, imprimis venditionem sacræ supellectilis Judæo factam; deinde matrimonium cum Judæo; & de hoc patet, cum disparitas cultûs sit impedimentum dirimens.

DUBIUM

D V B I V M I I I.

Quid sit heresis.

Resp. Hæresis, est error intellectus, liber & 92
 pertinax contra fidem, in eo, qui fidem suscepit.
lex comm. Suar. Bec. c. 14. q. 2. Unde patet, ad Hæ-
 resim, uti & Apostasiam, duo requiri: 1. Iudici-
 um erroneum, quod est ejus quasi materiale. 2.
 Pertinaciam, quæ est quasi formale. Porrò per-
 tinaciter errare, non est hîc acriter & mordicus
 suum errorem tenere, aut tueri, sed est eum re-
 tinere, postquam contrarium est sufficienter
 propositum sive quando scit, contrarium tene-
 ri à reliqua universali Christi in terris Ecclesia,
 cui suum iudicium præferat; sive id fiat ex vana
 gloria, sive libidine contradicendi, aliavè causa.
Ita Sanch. Vasq. Lay. l. 2. t. 1: cap. 13. & alii comm.
 Ratio, quia tunc putat, iudicium Ecclesiæ non
 esse sufficiens fundamentum credendi, quæ est
 vera pertinacia: quam cum *Koninc* faciliùs sic
 explicant alii, eam tunc esse, cùm etsi objectum
 fidei credibiliter proponatur, ita ut prudenter
 de eo non possit dubitare, contrarium tamen
 iudicet, à quo nolit avelli ullo casu, vel saltem
 nisi evidenter convictus, v. *Kon. d. 18. Unde resolv.*
 I. Non est hæreticus, qui exterioriùs tantùm fidem
 negat, aut adorat idolum. Ratio, quia non errat.
 Neque talis incurrit in foro conscientiæ censu-
 ras latas contra hæreticos, etsi in foro externo
 secundùm externa procedatur. *Fill. t. 22. c. 6. q. 4.*
 II. Est hæreticus, qui affirmativè de aliquo
 articulo fidei dubitat, hoc est, iudicat esse du-

F

bium

UM

»bium. Dixi *affirmative*, quia *negative* tantum
 »dubius, hoc est, suspendens iudicium, per se &
 »simpliciter non est hæreticus, quia non habe-
 »iudicium; ergo nec errorem: modò tamen non
 »ideo suspendat, quòd virtualiter iudicet, non
 »liquere de certitudine objecti. *Sanch. Azor. l. 8.*
 »c. 9. q. 5. *Tol. contra Sanch. & Malderum.*

» III. Nemo est hæreticus, quàm diu paratus est
 »iudicium suum Ecclesiæ submittere, aut nescit
 »contrarium tenere veram Christi Ecclesiam;
 »esto ex ignorantia etiam culpabili & crassa sen-
 »tentiam suam mordicus tueatur. *Lay. l. c. n. 2.*

» IV. Nec est hæreticus, qui ita dispositus est,
 »saltem habitualiter; ut à suo errore esset disces-
 »surus, si sciret esse contrarium fidei; dummodo
 »pertinaciam actualem nunquam habuerit. *Ibid.*
 »& *Kon. l. c.*

» V. Rustici, aliique homines simplices in
 »Germania, qui hæretici habentur, & tamen per-
 »tinaces non sunt, possunt absolvi à suis Paro-
 »chis. Ratio, quia non sunt hæretici formales, ha-
 »bentque fidem Catholicam in Baptismo acce-
 »ptam, quæ non perditur, nisi errando pertina-
 »citer. *Lay. l. c. n. 4.*

» VI. Cùm hæresis, & quævis infidelitas mor-
 »talis fit, peccant quòque mortaliter, qui ejus
 »periculo se exponunt, sive conversando, sive
 »conciones audiendo, sive libros legendo; Quæ
 »proinde, si cui periculosa sint, illicita sunt iure
 »naturæ: si verò periculum absit, lectio librorum
 »hæreticorum nihilominus illicita est iure po-
 »sitivo Ecclesiæ; uti etiam formalis disputatio
 »Laici de fide: Quod posterius tamen in Germa-
 »nia locisque similibus, ubi Catholici hæreticis
 sunt

sunt permixti, abrogavit consuetudo. *Azor, Fill.*”
Bec. Sanch. Bon. di. 3. q. 2. p. 5.”

VII. Matrimonium contrahere cum hæreti-
 ca, etsi per se sit illicitum, habeaturque in Hi-
 spania & Italia mortale; probabile tamen est, ob-
 gravem Doctorum auctoritatem (*Sanch. de mat.*”
to. 2. l. 7. d. 72. n. 5. Azor t. 1. l. 8. c. 11. q. 5. Regin.”
tr. 2. l. 32. n. 169. Basilius Pontius de mat. c. 6. v.”
Lugo de Sacramentis in genere, di. 8. s. 14. nu. 220.)”
 in Germania licere, ex gravi causa salvo tamen
 jure naturali, & semoto periculo, tum contra-
 hentis, tum prolium; unde de iis initio consti-
 tuti debet, ut Catholicè educentur, v. *Bec. l. 5. c.*”
19. Dian. p. 3. t. 4. R. 269.”

VIII. Eum, qui lapsus est in hæresin, non te-
 neri in confessione explicare, qualis illa sit, eò
 quòd omnes ejusdem speciei sint, docent *Regin.*”
Dian. to. 1. tr. de circumst. R. 46. citans alios: &”
Escob. Ex. 2. c. 6.”

Alii tamen contrarium tenent, quos sequitur
Lug. de pæn. d. 16. n. 288. & n. 291.”

A D D E N D A.

Q. 21. An presumi possit in Germania esse ali- 93
 quos, qui sint hæretici materiales tantum. R. Sunt
 qui dubitent, nec immeritò:

§. 1. Pro parte negativa sunt hæc argumen-
 ta: 1. Hæretici in Germania sciunt de fide nostra,
 neque possunt vel audent eam damnare aperta
 falsitatis, sed debent judicare esse saltem proba-
 biliorem, pro sua enim fide, si argumenta con-
 siderent, non possunt habere evidentiam credi-
 bilitatis, ergo debent dubitare de sua, & exa-
 minare nostram, quod tamen negligunt, nam si

examinarent, & inspicerent Notas veræ Ecclesiæ,
 ac animo indifferente discuterent, an eæ inve-
 niantur in Ecclesia sua an in nostra, manifestè
 comperirent stare pro nostra & non pro sua, er-
 go quod id non agnoscant, est defectus inquisi-
 tionis, ad quam obligantur, ergo ignorant vin-
 cibiliter & culpabiliter, ac consequenter non ex-
 cusantur ab hæresi formali. *Si dicas*, non inci-
 dere ipsis cogitationem de illa obligatione in-
 quirendi, *contra* est, quia nullus erit, qui vel per
 inspirationem Dei, vel per instinctum aut scru-
 pulum internum ad id non excitetur; his autem
 ipsi resistunt, quod non deberent, cum careant
 evidentiâ & certitudine de veritate suæ sectæ,
 maximè defectu Notarum veræ Ecclesiæ. 2. Sci-
 unt multa affingi nobis, v. g. quòd adoremus
 Sanctos vel Imagines, & quamvis dicatur ipsis
 eam non esse doctrinam nostram, manent in suis
 præjudiciis, nec dignantur in veritatem inquire-
 re, ergo ignorantia est ipsis volita. 3. Sæpe sunt
 ita constituti, ut ideo non velint fieri Catholici
 aut in veritatem fidei inquirere, quia sui Parentes
 & Proavi non fuerunt Catholici, aut quia amif-
 suri essent opes, honores, officia; essent irriden-
 di, persequendi ab aliis; dicerentur inconstantes
 &c.; hæ autem causæ non excusant, quia sunt
 respectus humani & rationes purè naturales, quæ
 pro salute animæ contemnendæ forent. 4. No-
 lunt credere fieri miracula, quæ fide saltem hu-
 manâ possent & deberent credere, uti fide hu-
 manâ credunt alias historias, v. g. de bello vel
 victoria alicubi relata; quòd si fidem humanam
 adhiberent miraculis pro fide nostra factis, hoc
 ipso propriùs accederent ad veritatem, & illu-
 minantur.

minarentur à Deo. 5. Multi fuerunt & sunt in Ecclesia Catholica Viri sancti & docti, qui in oratione, multa discunt à Deo, multa prædicunt spiritu prophetico &c.; hæc audiunt hæretici in Germania, hæc sciunt: è contrà etiam noverunt apud suos talia non fieri: hæc ratio, inquit, *Caram.* in *Hercule Log. lab. 3. pag. 66. me summopere mō-* *vi.* Tamen,

§. 2. Probabilius videtur, quòd etiam in ⁷⁴ Germania sint hæretici tantùm materialas: inveniuntur enim aliqui ita simplices vel præventi doctrinâ suorum Ministrorum, ut firmiter existiment se non debere dubitare de fide sua; simulque ita sincerè procedunt cum Deo in conscientia sua, ut si scirent fidem suam esse falsam, statim admitterent nostram: tales autem non sunt hæretici formales sed materiales tantùm: Et tales esse multos testantur Confessarii plurimi in Germania Auctoresque experientissimi, *Tann.* Tom. 3. d. 1. q. 8. d. 1. n. 10. *Teril.* in Reg. q. 64. à n. 51. *Gob. tr. 7. n. 621. Reiffenst. t. 4. d. 4. q. 2. n. 19. Sporer in mor. t. 2. c. 3. f. 2. §. 2. n. 14.* Vide *Vind. Gob. p. 2. prop. 3.* Hoc miserandum est cum illis, si in aliud peccatum mortale inciderrint, quod omnino pronum est ejusmodi hominibus, eos gratiâ præcipuorum Sacramentorum destitui & communiter damnandos, non ex defectu fidei (suppono enim, quòd credant necessaria necessitate medi) sed propter alia peccata, quæ commiserunt, & à quibus non expiantur, neque per Sacramentum pœnitentiæ, quod apud ipsos non est, neque per contritionem vel amorem perfectum, ad quem, præterquam quòd difficillimum sit ejusmodi homines ad eum per-

tingere, ipsi tamen non attendunt, nec commu-
niter curant, nec student elicere, putantes se per
solam fidem & fiduciam in Christum justificari,
quâ damnabili confidentiâ pereunt miserimè.

95 Q. 22. *Quid observandum sit circa matrimonia
cum hæreticis.* R. Seqq.

§. 1. *Gob.* In Exper. t. 9. n. 216. & *Verju.* t. 33.
a. 5. rectè probant matrimonia personæ hæreti-
cæ cum Catholica regulariter esse illicita, tum ob
periculum perversionis, tum maximè, quia pro-
les facilè possent ad hæresin deflecti: Nilominus
Sanch. Az. Veri. a. 6. *Less.* in auct. V. *Hæreticus*,
cas. 23. putant tum licere. 1. Si absit periculum
perversionis. 2. Si detur libertas educandi pro-
les Catholicè. 3. Si non facilè sit invenire parem
& convenientem inter Catholicos. 4. Dum-
modo hæreticus non sit vitandus. 5. Si sit con-
suetudo ibi, ita ut absit scandalum: & horum
unum si desit, non licebit: hæc omnia autem vix
concurrent; additque *Gob.* quòd Authores, qui
dicunt id licere, non sciant, quomodo agatur in
Germania.

96 §. 2. Quando reliquæ conditiones adsunt,
quamvis adsit aliquod periculum perversionis,
si tamen non sit proximum, licebit tale matri-
monium ex gravi causa, uti tenent *Lugo* d. 22. n.
22. *Arsdeck.* t. 2. p. 2. t. 6. in Ref. de Hæresi q. 25.
Veriu. suprâ, quia spes magni fructûs prævalere
potest tali periculo remoto. *Nec refert*, quòd per-
sona hæretica sit illicitè & in peccato mortali
contractura, nam id per accidens est, & gravis
causa excusat cooperantem actioni, quam alter
posset bene facere, uti dicitur à n. 255.

97 §. 3. Docet *Lugo* n. 31. ad tale matrimonium
opus

opus esse dispensatione, quod intelligit de locis, in quibus consuetudo est in ejusmodi dubiis recurrere ad Papam, quia Ecclesia meritò potuit sibi reservare judicium, an sufficiat causa, vel non præponderet periculum mali; Notant tamen *Lugo* n. 17. *Arsdeck.* q. 24. Aliique contra *Sanch.* & *Pont.* nō esse opus dispensatione, si pars hæretica promittat conversionem, credaturque id serio facere, id enim expressè excipitur in Jure; imò putat *Hurt.* sufficere spem conversionis ortam ex ipsius indole vel aliunde, sed contradicunt *Lugo* & *Arsdek.*

§. 4. Notant communiter Authores, si aliunde causæ adsint, facilius permitti posse, ut Catholicus cum hæretica, quàm ut hæreticus cum Catholica jungatur matrimonio, quia vir majore autoritate pollens facilius trahet uxorem & proles ad suam fidem. 98

§. 5. Non licet pactum inire de ulla prole educanda in hæresi, nequidem hoc permitendo, tale enim pactum est impium & irritum, uti omnes docent post *Sanch.* de matr. l. 7. d. 72. n. 6., quia Parentes ex Jure Naturæ tenentur omnes suas proles educare in vera fide: *Tann.* tamen de Matr. d. 8. q. 4. n. 91. dicit in casu, ubi matrimonium cum persona hæretica licitum est & valde utile ad bonum commune, non esse illicitum addere pactum, ut aliqua saltem pars prolium educetur catholicè, nihil interim præjudicando Juri Catholici Parentis circa reliquas proles, quas postea pro viribus tenebitur educare in vera fide.

§. 6. Catholico Parocho licitum est benedicere nuptias personæ Catholicæ cum acatholica, 99

idque in gratiam personæ Catholicæ, quæ Jure illo privari non debet, uti rectè *Lugo* d. 14. n. 158; & *Arsdek* q. 27. cont. *Sanch.* d. 3. n. 13. Etiam in Germania ex justa causa licitè assistit matrimonio, quod duo hæretici in sua parochia habitantes contrahunt, uti habent *Laym.* & *Gob.* n. 498; illicitum tamen est benedicere illis nuptiis, nam indigni sunt benedictione ecclesiasticâ, qui ceremonias Ecclesiæ damnant, ita *Tann.* n. 93.

100 §. 7. Si post contractum matrimonium & susceptas proles sit Parenti Catholico moraliter possibile facere, ut proles educentur catholicè, ad hoc sub mortali tenetur, uti jam insinuatum est, seposito omni respectu humano & etiam cum incommodo; unde si non faciat, instrui debet de obligatione, quam si non promittat implere, & postea non impleat, non est dispositus ad absolutionem. Si autem parens ille prævideat gravissima incommoda ex eo, quod Uxorem coget ad proles catholicè educandas, quæ subire vel pati censeatur moraliter impossibile imbecillitati humanæ, uti sunt exilium, privatio bonorum, jurgia gravissimâ cum Uxorè, non tantùm ad breve tempus, sed certò duratura in perpetuum; permittere potest educari acatholicè, nam moraliter impedire non potest, sed adhuc monendus de gravissima obligatione naturali, ut quantum potest, ipse suo loco & tempore proles instruat catholicè, & animandus, ut contempto metu, si fortè sit, uti sæpe est, vanus, audeat tentare aliquid pro Deo & animabus prolium à se repetendis in extremo die.

101 §. 8. Ex dictis rectè infert *Steph.* t. 3. d. 1. n. 44., quàm malè faciant illi, qui proles suas mittunt ad terras hæreticas, ut ibi, v. g. discant mer-

catu-

caturam vel studeant, paulatim enim inbibunt, aut saltem molliuntur ad errores, incipiunt liberius transgredi præcepta Ecclesiæ &c. Idem dicit de illis, qui sine rationabili causa multum conversantur cum hæreticis, nam ad eadem veniunt, falsas propositiones sibi imprimunt, & quando hæreticorum conversatio ac mores magis placent, incipiunt minus affici ad Catholicos.

Q. 23. An liceat famulari hæretico. R. De hoc ¹⁰² fuse agit Gob. in Quin. t. 5. c. 33. a. n. 93. & in Exp. t. 5. a. n. 313., cum quo in plerisque consentio, unde fit,

§. 1. Si quis famulans hæretico, ob conversationem illam sit in proximo periculo deficiendi à Fide, Jure naturæ tenetur statim discedere cum quocunque etiam incommodo, quia non licet permanere in proximo periculo peccandi, uti dicitur l. 5. à n. 252.

§. 2. Licet periculum illud absit, si tamen famulus impediatur in observatione præceptorum Ecclesiæ, v. g. quia debet carnes diebus vitis comedere, festis laborare serviliter, negligere Missâ &c.; servitiû est illicitû, nisi excuset notabile incommodum, uti rectè Nav. Bonac. Sanch. Suarez. Laym. & Alii communiter cum Castrop. t. 22. p. ult: n. 6. Ratio est, quia præcepta Ecclesiæ ad suâ observationem obligant, nisi grave damnum intercedat, tum autem esset grave damnum, si vel deberet amittere suum salarium, vel non posset invenire Dominum Catholicum, à quo acciperet ultra dimidium illius, quod ab hæretico accipit; si tamen à Catholico tantum accipere posset, v. g. 6 florenos, & ab hæretico 7.; non esset notabile damnum: quòd si 4 tantum accipiturus esset à Catholico, videtur respectu ipsius

fore notabile damnum, nisi aliunde haberet, quo ordinariis suis necessitatibus sufficienter provideret.

104 §. 3. Si rarò impediretur ab observatione festi, liceret servire hæretico, dummodo aliud nihil obstaret: Ratio est, quia etiam difficile est reperire Dominum Catholicum, qui quandoque ita non impediatur famulum, uti rectè *Suar. & Laym.*; si quis autem singulis mensibus bis deberet impediri, ille non rarò, sed frequenter impediretur in anno.

105 §. 4. Si quis communiter impediatur die festo, quominus templum adeat, sed ex justa causa, quia nempe occupatur in ministerio juxta vivendi modum necessario, v. g. quia debet custodire pecora, vigilare in excubiis militaribus, navigare in mari per duos tresve menses, esse tabellarius per loca hæretica, non ideo tenetur deferere Dominum hæreticum vel officium, ita *Laym. Sa, Gob.* Ratio est, quia illa etiam apud Dominos Catholicos excusant ab observatione præceptorum Ecclesiæ.

106 §. 5. Si quis ex justa causa serviat hæretico, & diebus vetitis habeat unum ferculum quadragesimale ultra panem, non licet illi vesci carnibus, quia etiam famuli apud Catholicos talibus diebus debent ita contenti vivere: si omnia alia negarentur, ut sic adigeretur ad carnes, non liceret ei comedere, nisi præviâ expressâ protestatione, quòd ex necessitate faciat, alioquin ageret in contemptum fidei: Causa autem sufficiens ad carnes tum comedendas non est periculum irrifionis, sed necessitas, quia vita aliter sustineri, vel labor debitus persolvi non potest.

§. 6.

§. 6. Antequam quis addicat operam hæretico, debet expressè apponere conditionem, ut permittatur observare præcepta Ecclesiæ, alioquin exponit se proximis periculis non observandi præcepta illa, ad quæ hîc & nunc tenebitur; poterit autem appositâ tali conditione tollere impedimentum proximum, ergo ad hoc tenetur. 107

Q: 24. An licitum sit Catholico administrare officium politicum apud hæreticos. R. Licitum est, si officium nullam habeat communicationem cum ipsa hæresi; si autem talem communicationem vel cooperationem habeat annexam, v. g. quia debet instituere Prædicantes, aut quoquo modo ordinare ministeria ad hæresin spectantia, est illicitum, quia non licet cooperari ad hæresin, neque eam defendere, ad quod tamen ejusmodi Officiales sæpe tenebuntur: neque hic est tantum materialis cooperatio, nam agunt tanquam subordinati intentioni supremi Principis hæretici, cujus autoritate ea faciunt, ergo etiam directè & formaliter tendunt in malum, quod Principes illi intendunt, ita *Pet. March. t. 2. t. 2. t. 2. f. 5. q. 3. d. 1.* 108

Q: 25. An liceat Catholico promovere, v. g. ad Patrochiam, aliquem Ministrum hæreticum, quem putat minus nociturum veræ Religioni. R. Si id faciat per consilium tantum, vel per preces & intercessionem, licitum est, quia potest consuli minus malum, ut impediatur majus alioquin eventurum: & tum non consulit absolutè malum, sed sub conditione, si alter eorum aliquem est electurus, ut eligat hunc præ illo: hinc etiam secundum *Lugo d. 14. n. 170.* non videtur illicitum, si Patronus 109

tronus

tronus Catholicus, ob jus, quod habet, præsentet & eligi velit unum Parochum hæreticum præ alio pejori, ubi hæreticus præsentari & eligi debet, nam præsentat illum ad actus, quos ex voluntate saltem præsumpta Ecclesiæ potest exercere: quòd si ipse postea velit sine titulo reditus ecclesiasticos sibi retinere, aut exercere ministerium suum ritu hæretico, ad hoc permiffivè se habet Patronus, qui solum intendit impedire majus malum, neque intendit malum simpliciter, sed præeligit minus, prout est impeditivum majoris; Denique ipsius voluntas non deservit neque subordinata est voluntati alicujus alterius intendentis malum, uti fiebat in casu n. 108.

810 *Q. 26. An liceat hæreticos sepelire in loco sacro. R.*

§. 1. Si quis hæreticus ante mortem dederit manifesta signa conversionis, quamvis ab hæresi absolutus non sit, potest in loco sacro sepeliri, ita *Laym. l. 1. t. 5. p. 2. c. 4. n. 9.*, ubi dicit ad vitandum scandalum prius esse admonendum Episcopum.

811 §. 2. In quibusdam Germaniæ locis ex longa consuetudine permittitur, ut notoriè hæretici in locis sacris sepeliantur à suis Ministris, ita post *Laym. & alios Lugo d. 14. n. 159.*, docens cum *Nav. Verj. & aliis*, Ecclesiam etiam non violari per sepulturam ullius hæretici, nisi fuerit nominatim denunciatus vel publicus percussor Clerici. Addit *Lugo n. 160.* Si Ministri hæretici publicâ authoritate usurpent sibi jus sepeliendi etiam Catholicos, non licere cooperari, sed posse permitti, quod impediri non potest.

812 §. 3. *Verj. t. 4. a. 9.* universaliter docet, per Jus canonicum, etiam præscindendo à consuetudine,

ne, non excludi à sepultura in loco sacro, nisi hæreticos nominatim excommunicatos, sed, uti notavit Laym., observanda est consuetudo locorum; nullo modo tamen debet Sacerdos Catholicus ad ejusmodi sepulturam concurrere more catholico, adhibendo ceremonias Ecclesiæ, sic enim profiteretur fuisse ovem suam, & ex judicio Ecclesiæ dignum esse ejusmodi favoribus, suffragiis, orationibus, quod falsum est, & esset causativum scandali gravis in populo Catholico.

Q. 27. *An in locis, ubi adhuc viget vetus calendarium, licitum sit festa & jejunia secundum illud observare.* R. Less. V. *festa Ecclesiæ*, cas. 7: putat, si novum calendarium ibi fuerit receptum & lapsu temporis comprobatum, non licere sequi vetus, quia hæretici non possunt legem Ecclesiæ, maxime usu receptam, abrogare, ergo Catholici, nisi adfit gravis causa excusans, tenebuntur sua festa & jejunia celebrare secundum novum. His contradicit *Veri. a. 21.*, docens posse se conformare stylo locorum, in quibus sunt, idque esse conveniens ad vitandas plurimas confusiones, quæ ex illa difformitate orirentur; neque hoc est contra mentem Ecclesiæ, quæ novit ita fieri & non contradicit.

Q. 28. *An sit obligatio denunciandi hæreticos for- 114*
miales. R. Hoc resolvetur n. 215.

Q. 29. *Quis possit absolvere ab hæresi.* R. Hoc dic- 115
cetur de pœni: , quando agetur de casibus refer-
vatis.

De libris hæreticis dicemus l. 7., quando de
excommunicatione.

TRACTATUS II.

De Præcepto Spei.

116 **P**ER Spem, quæ est secunda virtus Theologi-
ca, intelligitur amor concupiscentiæ erga
Deum, quo Deum & divina præ omnibus aliis
concupiscibilibus, nobis concupiscimus, ita ut
omnia potius parati simus perdere, quàm De-
um & divina. De hac quæritur, quando ejus
præceptum obliget.

118 ad 129.

Resp. I. Probabile est, præceptum Spei obli-
gare per se, cum primùm homini usum rationis
affecuto, Deus & beatitudo tanquam finis, ad
quem tendere debet, sufficienter est propositus,
ita ut notabili tempore non differat. Ita *Becan.*
c. 17. q. 7. n. 2. Turrianus & ceteri comm. Et ratio
est, quia sine actu Spei nec justificari, nec in justi-
tia divina persistere, nec meritoriè operari pos-
sumus, *vide Scholl.*

Resp. II. Præceptum Spei per accidens obli-
gat. 1. Quando actus Orationis, pœnitentiæ,
Charitatis, &c., in præcepto sunt, qui sine præ-
vio actu spei exerceri non possunt. *Auth. cit. &*
Fill. t. 22. n. 255.

Quando quis ita tentatur, ut periculum sit
consensûs, nisi animum spe erigat, *v. Fill. l. c. Lay.*
l. 2. t. 2. c. 2. n. 1. Bon. ro. 2. d. 5. q. 3. p. 2. prop. 2.
Unde sequentes Casus resolvuntur:

I. Mortale peccatum est, sperare, five amare
magis (amore concupiscentiæ) terrena hæc,
quàm cœlestia: v. g. si quis ita comparatus sit,
ut

ut desideret perpetuò degere in hac vita, & Deo^o
relinquere coelum, si sibi relinquat terram. ^o

II. Mortale item est, desperare de consequen-^o
do Deo aut salute & venia peccatorum, aut me-^o
diis ad illam consequendam necessariis, v. g. au-^o
xiliis gratiæ, & emendatione vitæ: Quod pecca-^o
tum ratione parvitatis materiæ non potest esse
veniale, cum sit injuriosum misericordiæ Dei.^o
S. Th. 2. 2. q. 20. a. 3. Lay. n. 3. ^o

III. Mortale item est, præsumere de miseri-^o
cordia Dei, v. g. cum quis sperat id, quod est^o
impossibile secundum legem Dei ordinariam,^o
ut si speres remissionem peccatorum & salutem^o
sine pœnitentia, vel per propria merita & vires^o
naturæ; vel etiam si quis statuat perseverare in^o
peccatis, quamdiu bene valet, & tamen speret^o
se acturum pœnitentiam ante mortem *S. Tho.^o*
q. 21. a. 1. Lay. l. c. ^o

Denique mortale est, odisse Deum, odio sci-^o
licet abominationis seu averfionis, v. g. si Deus^o
displiceat tanquam nobis infestus propter vin-^o
dictam peccatorum, v. *Laym. l. c. Bon. d. 3. q. 4.^o*
S. 1. n. 4. ^o

A D D E N D A.

Q. 30. Quanta sit necessitas spei. R. Constat, 117
partim ex illis, quæ habet *Busenb. hic*, partim ex
dictis n. 1. & à n. 11. 14.

2. Q. 31. Quomodo aliquis practice instrui & induci
debeat ad spem Theologicam. R. Debent ipsi expli-
cari seqq.

1. Sperare est optare sibi aliquod bonum, & ¹¹⁸
confidere se illud obteturum: ex quo patet, quòd
spes

126. 127. 128

129

spes nostra ad Deum includat duos actus, primus est desiderium boni, quod optamus à Deo; secundus est quædam confidentia & erectio animi sibi quasi spondentis, quòd bonum illud desideratum sit obtenturus à Deo: hinc *S. Thom.* 1.2.q. 25. a. 1. in O dicit spem supra desiderium addere quendam conatum & quandam elevationem animi ad consequendum arduum, idemque innuit *Trident.* s. 6. c. 6., dicens peccatorem per spem erigi ad veniam consequendam.

119 2. Objectum materiale spei, sive bonum, quod à Deo speramus, est, in primis pro altera vita beatitudo æterna, id est, visio, amor & fruitio Dei, ac cumulus omnium gaudiorum, quæ erunt in cœlis: deinde pro hac vita sunt omnia media ad illam beatitudinem, inter quæ præcipua sunt remissio peccatorum, & gratia sanctificans in fine vitæ.

120 3. Cùm spes includat duos actus, unum desiderii, & alterum confidentiæ, ideo habet duplex motivum, nam motivum respectu desiderii est bonitas Dei, in quantum illa nos potest æternam reddere Beatos; motivum autem respectu confidentiæ sunt perfectiones Dei, qui propter merita Christi nobis eam beatitudinem promisit, si faciamus, quod in nobis est, hinc *Trident.* c. 16. ait, *sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filius Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.*

121 4. Motivum, ex quo ardentissimè supra omnia desideramus æternam beatitudinem, est infinita Dei bonitas, cujus possessio præferri de-

bet

bet omnibus possibilibus bonis & gaudiis creatis: motivum autem, ex quo super omnia firmissimè confidimus nos beatitudinem illam obtenturos, est, quia Deus, qui illam promisit, est fidelissimus in promissis suis servandis & potentissimus ea servare: Huc etiam plurimum confert, quòd sit misericordissimus, ut dare velit auxilia, uti habet *S. Thom.* q. un. de spe, quæ est q. 7. de spiritualibus creaturis a. 1. *sicut objectum formale fidei est veritas prima, per quam sicut per quoddam medium assentit his, quæ creduntur, quæ sunt objectum materiale fidei, ita etiam objectum formale spei est auxilium divinæ potestatis & pietatis, propter quod motus spei tendit in bona sperata, quæ sunt materiale objectum spei: Et 2. 2. q. 18. a. 4. ad 2. & 3. dicit, quòd spes innitatur omnipotentiâ & misericordiâ Dei.*

5. Infinita fidelitas Dei in hoc consistit, quòd ¹²² Deus sit necessariò determinatus ad hoc factis implendum, quòd promisit verbis: infinita autem potentia in hoc consistit, quòd Deus facere possit, quidquid promittit, cum sit omnipotens: debetque utraque illa perfectio divina adesse, ut possimus firmissimè confidere, nam licèt esset fidelissimus & libentissimè vellet explere promissa; si tamen explere non posset; item licèt esset potentissimus, si tamen non maneret constans & fidelis in suis promissis, non possemus firmissimè confidere nos obtenturos, nunc autem possumus, quia ille promisit, qui est fidelissimus & potentissimus.

6. Ut ille, qui instruitur, hæc faciliùs capiat, ¹²³ rogetur, si ipsi suus Parens v. g., & suus juvenis Frater promitterent novam vestem, à quo vellet magis sperare; utique à Parente, quem scit velle

G

servare

servare sua promissa & posse dare, quod promittit; juvenis autem Frater sæpe negligit promissa, aut quamvis libenter servare vellet, tamen non semper potest: id applicet Deo, qui quidquid promittit, vult dare, quia fidelissimus est, & potest dare, quia est potentissimus; ac consequenter ab eo firmissimè sperare possumus æternam beatitudinem nobis propter Christi merita promissam, itemque media ad illam.

124 7. Actus spei utilis ad salutem, justificationem, & meritum debet esse supernaturalis, qualis erit, si beatitudo promissa, Dei promissio & motivum ipsum spei proponantur nobis per fidem supernaturalem, quæ ideo præire debet, uti à n. 14. dictum est. Vide etiam n. 24.

125 Q. 32. *Quomodo practice elici possit actus spei.* R. Formula dabitur n. 154.

126 Q. 33. *An sit præsumptio, si quis ideo audacius peccet, quia scit Deum esse infinite misericordem, aut quia scit se unâ confessione vel uno actu contritionis delere posse multa peccata.* R. Si cognitio & spes illa remissionis sit ipsi ratio peccandi, tum est præsumptio; si autem non sit ipsi ratio peccandi, sed tantum habeat se concomitanter, non est præsumptio, sed est actus spei, bonum enim est etiam tum, quando quis peccat vel vult peccare, sperare veniam à Deo, & proponere postea confiteri vel pœnitere.

127 Q. 34. *An sit præsumptio, si quis ideo peccet, quia simile peccatum commisit, postea unâ operâ confitendum.* R. Non est, licet enim per hoc ostendatur, quòd animus sit malè dispositus, qui à peccato plus deterreatur ob pudorem vel difficultatem confitendi, quàm per aliud motivum, tamen

ex

ex illa intentione peccare, nihil est aliud, quàm se solvere à metu novæ & distinctæ erubescentiæ seu difficultatis in confitendo, & ideo peccare liberiùs & sæpius, quod non est præsumptio, ita *Tann. t. 3. d. 2. q. 1. n. 79.* & post illum *Burgh. cent. 1. cas. 31.* Si tamen peccans sibi promitteret tam facilè remissionem plurium peccatorum quàm unius, & ideo sæpius peccaret, esset præsumptio, uti rectè *Steph. t. 3. d. 2. d. un.*

Q. 35. An detur parvitas materiæ in præsumptione. R. Negant communiter omnes, sed *Bonasp. d. 4. n. 48.* affirmat, docens eum tantum venialiter peccare, qui ex præsumptione de bonitate Dei peccaret venialiter, aut in sequentem diem differret agere pœnitentiam circa peccatum mortale; neque contradicit *Steph. supra.*

Q. 36. Quando nam amittatur spes. R. Amittitur 1. per peccatum, quo amittitur fides, cum hæc sit veluti fundamentum omnium virtutum. 2. Per quodvis mortale spei directè oppositum, id est, quod directè tollit objectum formale spei, uti sunt positiva & efficax nolitio vel contemptus beatitudinis, neglectus mediorum ad illam, eò quòd judicetur impossibilis; dejectio animi ex eo, quasi Deus non possit aut non velit nos salvare &c. 3. Non amittitur directè per præsumptionem vel per omissionem actûs spei graviter præcepti, cum hæc præsumptio vel omisso directè non opponantur motivo spei.

TRACTATUS III.

De Præceptis Charitatis.

CAPUT I.

An, quando & quomodo obliget præceptum
Charitatis Dei.

130 » **C**haritas Dei est amor amicitiae, quo Deo bene
» volumus, & omnia bona ipsi cupimus, ob
» summam & infinitam ejus divinæ naturæ per-
» fectionem.

» Resp. I. Præceptum charitatis Dei præcipit
» Deum super omnia amandum; patet ex *Scriptu-*
» *ra*. Ratio est, quia finis ultimus plus est diligen-
» dus, quàm omnia media, quæ ad eum referun-
» tur, non quidem intensivè (etfi enim hoc etiam
» deceat, non tamen est in præcepto) sed appre-
» tiativè, ita ut nullam creaturam pluris facias,
» quàm Deum; velisque potiùs omnia perdere,
» quàm Deum offendere, & sic illi malè velle. *S.*
» *Tho. 2. 2. q. 27. a. 3. Azor ro. 2. l. 12. c. 1. Sanch.*
» *Bec. 2. 2. c. 19.*

» Resp. II. Probabile est, præceptum Charita-
» tis Dei obligare. I. Quando homo adeptus est
» sufficientem cognitionem Dei infinitè boni, à
» quo omnia sua bona habet, & cui omnia debet.
» Ratio est, quia cum teneatur Deo ex filiali a-
» more totâ vitâ servire, id non videtur posse fieri,
» nisi eliciat actum amoris. Ita *S. Tho. 1. 2. q. 89. a.*
» *76. Nav. manual. c. 11. n. 7. Valentia ro. 3. disp. 3. q. 19.*
» *p. 1.*

p. 1. *Sc. comm.* (Notat autem *Kon. de act. supern.* disp. 24. d. 3. n. 90. non statim post talem notitiam peccare mortaliter, sed tantum, si differat notabiliter, v. g. ultra annum) contra *Palaum.* p. 1. qui dicit probabile esse, quod non obliget. Si scrupulus te angat, an præcepto huic satisfeceris, docet, *Escob. ex Petr. Hurt. 2. 2. d. 174. f. 5. subs. 2. §. 24.* quod si positivè non meministi te omisisse, tenere possis te satisfecisse. *Trul.* tamen l. 1. c. 5. d. 3. n. 9. monet expedire, ut quis se in confessione aliquando accuset sub dubio, si forte præceptum istud violarit, vel alia præcepta affirmativa, de quibus non certò constat, quando obligent, vel violentur. II. Quando est periculum labendi in odium Dei, nisi actum Charitatis elicias. III. Quando quis tenetur conteri, v. g. moriturus, aut celebraturus, cui Confessarius deest. Ratio quia contritio includit actum Charitatis. IV. Si quis gravem tentationem, præsertim in articulo mortis, putet se aliter vincere non posse. Quibus aliqui addunt articulum mortis absolutè, eò quod tunc securissima via eligenda sit, v. *Lay. l. 2. c. 3. c. 2. Bon. to. 2. d. 3. q. 4. p. 2. Hurt. 2. 2. di. 174. f. 5. subs. 2. §. 6. Ex dictis resolves;*

I. Mortale est, si quis omittat dilectionem Dei tunc, quando præceptum obligat.

II. Mortaliter peccat etiam, si quis amet Deum amore appetitativè, seu æstimativè minore, quàm creaturas.

III. Peccat item contra Charitatem Dei, si quis Deum non diligit principaliter propter se, tantumquam finem ultimum omnium rerum, sed tantum propter aliud, v. g. vitam æternam, vel ad evitandum infernum: Quod esse mortale docet

„Sylv. & Nav., quia scilicet Deus non diligeretur
 „appretiativè super omnia, si aliud ab illo amare-
 „tur, ut finis principalis. Addo, *Principalis*, quia ut
 „bene Tolet. lib. 4. c. 9. n. 2. Deus propter retribu-
 „tionem vitæ æternæ amari potest, sed minùs
 „principaliter, ut scilicet vita æterna, vel alia Dei
 „dona sint tantùm causa movens, ut faciliùs, ex-
 „peditiùs, & ferventiùs diligatur.

„ IV. Mortale & gravissimum omnium est, si
 „quis Deum formaliter oderit odio inimicitia,
 „seu malevolentia, (amori amicitia opposito)
 „v. g. si optes Deum non esse, non habere scien-
 „tiam, potentiam, &c. De his vid. Laym. l. c. c. 8. n.
 „31. Bonac. loc. cit. p. ult. Sanchez. l. 2. c. 3. & 5. Regin.
 „l. 17. n. 100.

A D D E N D A.

131 *Q. 37. Quid notandum sit circa propositiones hic
 damnatas. R. Seqq. §. 1. Inter damnatas ab
 Innoc. XI. sunt sequentes: 5. An peccet mortali-
 ter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eli-
 ceret, condemnare non audemus. 6. Probabile est ne
 singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare
 præceptum Charitatis erga Deum. 7. Tum solum ob-
 ligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam
 viam, quâ justificari possimus. Ex damnatione ha-
 rum propositionum certum est nos obligari ad
 actum explicitum & formalem charitatis per-
 fectæ erga Deum, non tantùm semel sed sæpius
 in vita: Item sæpius quàm singulis quinquenniis;
 neque hoc tantùm per accidens, in quantum for-
 tè actus Charitatis erga Deum necessarius est ad
 actum alterius virtutis, qui fortè præcipitur, sed
 etiam per se & ratione præcepti specialis exigentis*

is actum Charitatis erga Deum, uti constat, tum ex relatis propositionibus, tum ex propositione 1. ab *Alex. VII.* damnata, quam retulimus n. 1.

§. 2. Quandonam & quoties hoc præceptum obliget, manet incertum: Aliqui nimis arctant; Alii nimis laxant: Quidam dixerunt obligare omni ferè tempore & horâ, quorum fundamentum est duplex, aliquorum est hoc, quia homo non potest esse sine aliquo amore, vel ergo habet amorem Dei vel mundi; si Dei bene est; si mundi, peccatum est, ergo obligatio est semper habendi amorem Dei: hæc est ratiocinatio *Fansenii* l. 3. de statu naturæ lapsæ c. 19. *Omnis affectus animi in alicujus rei amore versatur, qui cum non possit esse alius, nisi vel Creatoris vel creaturæ, & ille bonus, hic culpabilis sit, utpote amor mundi ab Apostolo veritus, profecto liquet omnem amorem, præter istam Charitatem, esse illam culpabilem cupiditatem: secuti sunt Sinnichius, Opstr. Haverm. aliique Lovanienses, sed opus non est doctrinam illam confutare rationibus, cum fulmine Vaticano sit sæpius percussa, nam inter Bajanas à Pio V. Greg. XIII. & Urb. VIII. damnatas hæc est 38: omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, quæ Mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa Charitas, quæ per Spiritum sanctum in corde diffusâ Deus amatur. Deinde inter damnatas ab Alex. VIII. hæc est 7: omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi; si Dei, Charitas Patris est; si Mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est. Aliorum fundamentum est, quòd omnis actio sit peccatum, quæ non procedit ex motivo Charitatis, sed & hæc doctrina reprobata est, nam inter damnatas ab Alex. VIII. etiam sunt seqq: 9. revera*

peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem & disconvenientiam cum natura sine ullo ad Deum offensum respectu. 10. Intentio, quâ quis deestatur malum & prosequitur bonum, merè ut celestem obtineat gloriam, non est recta nec Deo placens. 11. Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est. 12. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, Charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur. 16. At vitio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentie Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis. Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate, est prop. 16: inter Bajanos. Ecce quàm graviter errârunt, qui ubique spirabant Charitatem & hoc ipso sibi nomen faciebant apud rudem Populum! Suadenda est quidem ubique Charitas, sed non ideo in omnes nostras actiones invehenda est illius obligatio: habendum est itaque pro certo, non peccari per eleemosynam datam merè ex compassione naturali, sine ullo ad Deum dilectum respectu: si Dicas, non peccari ex parte operis seu per commissionem, peccari tamen ex parte operantis per omissionem relationis ad Deum, Contra est, qui negat genus, negat omnes species, v. g. qui negat esse animal, negat esse tam hominem quàm brutum, ergo qui negat simpliciter peccari, dicendo absolutè non peccari, dicit nec peccari peccato commissionis nec omissionis, alioquin bene dicam absolutè eum non peccare, qui non audit Missam die festo, quia non peccat peccato commissionis.

Obicies. l. 5. n. 209. dicetur esse obligationem omnia

omnia referendi ad Deum, ideoque præcipere Apostolum, ut omnia faciamus in gloriam Dei: quod etiam dicunt SS:PP: ibidem referendi, ergo est obligatio omnia agendi ex charitate erga Deum, ergo semper amandi Deum. R. Omnia posse referri ad Deum, quamvis id non fiat ex motivo Charitatis, sed cujuscumque alterius virtutis vel honestatis, uti dicitur l. 5. n. 317. Et hoc vult S:Th: de Volunt: Dei a. 7. ad 8. dicens nos teneri agere ex dilectione naturali..... ad quam aliquis per principia naturalia pervenire potest, quæ invenitur in bonis ex genere & in virtutibus politicis.

Inst: S: Th. 1. 2. q. 100. a. 10. ad 2. ait, qui honorat parentes, tenetur ex Charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod est, Honora parentes, sed ex vi hujus præcepti, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde. R. Tantum vult teneri illum honorem parentum aliquo modo referre ad Deum, nam expressè addit, cum ista sint duo præcepta affirmativa, non obligantia ad semper.... potest contingere, quòd aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi Charitatis.

§. 3. *Sot. Ang. Almai. Gabr. Tabien. & alii dicunt hoc præceptum obligare omni die festivo, quam sententiam Carden, in 2. crisi d. 6. n. 9. dicit non esse contemnendam, quia cum certum videatur nos obligari ad frequentem repetitionem Charitatis, & tempus remittatur ad arbitrium Prudentum, videtur prudens designatio temporis esse dies festivus, qui dedicatus est cultui Dei, cultus enim optimus est actus Charitatis. Econtrà Castrop. t. 6. d. 1. p. 4. aliique communiter hoc probabilis negant, quia non scitur de tali præcepto; in dubio autem certius probari debet,*

maximè cùm Fideles in praxi illud non obser-
vent, neque agnoscant pro die festivo alia præ-
cepta, nisi de audienda Missa & omittendis servi-
libus, aut etiam quibusdam forensibus.

134 §. 4. Idem *Sotus & Valen.* dicunt tum obliga-
re, si quis adultus sit baptizandus: *Contrà* est, ra-
tione baptisimi non obligat, quia ad hunc sufficit
attritio: deinde nec ideo tum obligat, quòd ba-
ptizandus teneatur tum se profiteri servum Dei,
hoc enim faciet, si ex honesto metu, licet non ex
perfecto amore, ad hoc moveatur.

135 §. 5. *S. Anton. S. Bonav. Cajet.* alique 11: gra-
vissimi Authores cum *Carden.* à n. 47. dicunt ob-
ligare, si quis inciderit in mortale, & non possit
vel velit suscipere Sacramentum pœnitentiæ; id-
que statim, sive quamprimum post peccatum oc-
currit cogitatio ipsius peccati, nec intervenit ne-
cessarium impedimentum: fatentur autem hanc
obligationem non oriri ex generali obligatione
virtutis pœnitentiæ, hæc enim non obligat pro
semper sed pro certo tantùm tempore, v. g. om-
ni anno semel; neque ex lege Justitiæ, etiamsi
concedatur, quòd peccatum sit injuria contra
Deum, quamvis enim sit obligatio statim repa-
randi injuriam factam homini, hoc ideo est, quia
homo patitur damnum in bonis suis, si differatur
restitutio, quod in Deum non cadit, qui nullum
damnum pati potest ex dilatione reparandæ in-
juriæ; neque ex lege Charitatis erga Deum secun-
dùm se, hæc enim tantùm obligat, ut non multo
tempore differatur dilectio Dei, non autem, ut
statim diligatur, quando patratum est peccatum:
itaque obligationem illam colligunt, inprimis
ex verbis Christi, qui *Matth. 24. & 25. Marc. 13.*

LXX.

Luc. 12 præcipit nos semper vigilare & paratos esse ad mortem, non vigilat autem neque paratus est, qui non quærit justificationem à mortali, in quo est, quod fieri debet per dilectionem, quando deest vel non assumitur Sacramentum Pœnitentiæ, ergo qui tum non diligit Deum, non implet præceptum Christi. *Si dicas*, verba illa continere consilium tantum, *contra* insurgit *Carden.* à n. 55., probatque ex *SS. PP.*, *Ambr. Hiero. Theoph.* & aliis, qui expressè asserunt esse præceptum; & ratio est, quia consilium est de re voluntaria, hinc autem imponitur aliquid necessarium ad salutem, & sub cominatione, ne excludamur regno Dei, uti factum fatuis Virginibus, per quas significantur peccatores, ergo non proponitur per modum consilii sed præcepti. *Conf.* quia homo sub mortali tenetur suam salutem reddere securam à tali periculo, in quo si eam perdat, meritò censetur vituperabilis, sed qui est in mortali, & non potest vel non vult confiteri, non reddit salutem ita securam, nam in primis exponit periculo, nisi Deum diligat & conteratur, quia omni momento potest mori, vel naturaliter vel violentè; deinde si in tali statu moriatur, meritò censetur vituperabilis, ergo peccavit, & quidem mortaliter, cum non detur materia gravior, ergo erat præceptum in istis circumstantiis diligendi Deum. Hæc argumenta reddunt sententiam illam probabilem & meritò sequenda esset in praxi, nihilominus communior & absolute probabilis etiam est opposita, quam *S. Thom.* aliique Authores innumeri docent; quòd enim Christus velit nos semper esse paratos, hoc est pro securitate; quòd autem præcipiat

piat esse paratos, quando ipse veniet, seu quando moriemur, in hoc agnoscunt omnes esse præceptum, quod sufficit implere, quando prudenter iudicatur adesse periculum proximum mortis, non autem dum adest remotum tantum. Quod si adfit aliquod humanum periculum mortis, nec omnino proximum, nec planè remotum, v. g. si quis navigationem vel iter ingrediatur, in quo aliqui quandoque merguntur vel à Latronibus occiduntur, videtur fore grave peccatum, si quis sine confessione vel dilectione Dei se in tale periculum immittat, quia est summa imprudentia & temeritas in negotio supremi momenti: sed de quæstione tota redibit sermo, quando agemus de pœnitentia.

136 §. 6. *Sanch. Bonac. Aloz.* & alii dicunt hoc præceptum obligare, quando quis tentatur ad odium Dei. *Contra* est, quia hoc in eo tantum casu verum est, quo tentatio aliter vinci non posset, & tum per accidens obligaret illud præceptum.

137 §. 7. *Sorus. Val. & Nav.* dicunt obligare, quando quis audit blasphemari aut gravem injuriam fieri in Deum, ut sic quasi reparetur injuria. *Contra* est, non reparatur injuria, nisi is qui blasphemat Deum, è *contra* amet: deinde non spectat ad Charitatem sed ad Justitiam vel Religionem reparare talem injuriam.

138 §. 8. *Sot. Valen. Tol.* dicunt obligare, quando quis beneficium à Deo accepit. *Contra* est, quia tum sufficet gratias agere, sic enim satisfit honestati debitæ.

139 §. 9. *Sot. & Valen.* dicunt obligare, si aliquod opus magnum & difficile sit aggrediendum, v. g. defensio fidei coram Tyranno vel martyrium.

Contra

Contrà est, quia homo potest se aliter contra Tyrannum munire, quàm præcisè per elicatum formalem actum Charitatis.

§. 10. *Bannez* dicit tum obligare, quando quis vult Eucharistiam sumere. *Contrà* est, quia tale præceptum nullibi existat; & ad Eucharistiam sufficit status gratiæ. 140

§. 11. *Castrop.* suprà post rejectas sententias hæctenus relatas subdit cum *Suar.* & *Con.* esse obligationem sæpius diligendi Deum, quàm singulis trienniis semel: *Led. Hurt. Arr. Ills.* t. 3. n. 80. aliique cum *Mendo* d. 1. n. 143 dicunt esse obligationem saltem semel singulis annis: *Carden.* n. 18. dicit esse obligationem frequenter diligendi, ita ut videatur ipsi mortale, si quis ultra unum mensem integrum differat; & ratio est, quia Deus præcipit dilectionem suam in operibus, quæ frequenter solemus agere, postquam enim *Deut.* 6. dixisset: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde,* subdit, *eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea Filio tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens:* ergo Deus vult continuationem & frequentiam illius dilectionis. Deinde homo graviter obligatur ad observanda reliqua Dei mandata, sed moraliter impossibile est ea omnia observare, nisi quis frequenter eliciat actum dilectionis Dei, uti experientia probat, qui enim vix semel per annum quærunt placere Deo, diu non persistent sine mortali, nec unquam agredientur media ardua & naturæ contraria, quæ sæpe necessaria sunt ad vitanda peccata, ergo est obligatio gravis frequenter diligendi Deum, maxime cum reliqua omnia præcepta ultimè ordinentur 141

dinentur

adinentur ad Charitatem, quæ est finis & perfectio Legis. Itaque cum in tanta sententiarum varietate nesciamus, quando & quoties sit diligendus Deus, arripiamus tutiora, tum ut sic assuescamus dilectioni Dei; tum ut certo satisfiat præcepto, tum etiam, quia actus dilectionis est omnium præstantissimus & supra omnes alios meritorius. Neque id censeretur debet nimis difficile, nam si homines totis diebus occupari possunt amore creaturæ, voluptatis, lucri &c.; cur non magis Dei, qui solus est omni amore dignissimus?

§. 12. Satisfit huic præcepto, quamvis amor Dei eliciatur in ordine ad alia præcepta implenda aut ad aliam virtutem exercendam, v. g. si quis eliciat, quia vult confiteri, vel ut vincat tentationem, quâ infestatur, ita *Carden.* à n. 14. Tenendum est tamen contra multos, quos citat & sequitur *Moya* tr. 1. q. 9. n. 21., præcepto Charitatis pro articulo mortis non satisfieri per Sacramentum pœnitentiæ susceptum cum attritione cognita, quia re ipsa perfectè amandus est Deus in fine vitæ, Sacramentum autem cum attritione non est amor, qualis requiritur.

§. 13. Fideles, qui sciunt elicere actum dilectionis Dei, & cum aliqua reflexione operantur, facillè satisfaciunt huic præcepto, quia concomitanter elicient; Charitas enim hæc est duplex, afficiens & efficiens, tum dicor habere Charitatem afficientem, quando Deo faveo suas perfectiones, volo illi bona, quæ habet, gaudeo illum esse, qui est, gratulor ei de honore, qui exhibetur, opto, ut nullus eum offendat, ut omnes ei ferviant, eum ament & colant; quos affectus habere est omnino facillè. Tum dicor habere Charitatem

ritatem efficientem, quando mandata Dei observo, vel aliquid boni facio, ideo, quia scio hoc velle Deum atque infinitæ ejus bonitati placere; itaque Fideles, qui sciunt opera sua, orationem v. g., auditionem Sacri, jejunium, eleemosynam, fugam peccatorum, observationem cujuscunque mandati placere Deo, sive Deum infinitè bonum hoc velle, nisi ea opera agant ex vana gloria vel pravo alio fine, præsumere possunt se ideo agere, quia sciunt Deum infinitè bonum id velle, quia Deo infinitè bono gratum est &c.; atque sic habent actum Charitatis efficientis erga Deum. Similiter qui attentè & feridè orat, *Pater noster*, quando dicit *sanctificetur nomen tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, hoc ipso habet duos actus Charitatis erga Deum.

Q. 38. Quid notandum sit circa propositionem, 144
quam Alex. VIII die 24 Aug. 1690. damnavit velut
hereticam: *bonitas objectiva consistit in convenientia
objecti cum natura rationali; formalis verò in confor-
mitate actus cum regula morum: Ad hoc sufficit, ut
actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè.
...hunc homo non tenetur amare, neque in principio
neque in decursu vitæ suæ moralis. R. Seqq:*

§. 1. Hæc propositio habet quatuor partes; *prima* pars dicit, in quo consistat bonitas objectiva actus moralis; *secunda*, in quo consistat bonitas illius formalis; *tertia*, quod ad actum morale sufficiat tendere in finem ultimum interpretativè, id est, quamvis operans, actu neque formaliter neque virtualiter neque habitualiter referat actionem suam ad finem ultimum, quia de eo non cogitat neque cogitavit, dummodo sit ita constitutus, ut ad eum referret, si de eo cogitaret,

gitaret, actio erit moraliter bona; per finem autem ultimum intelligi potest, vel beatitudo formalis seu possessio Dei, vel Deus ipse, qui est finis ultimus objectivus. *Quarta* pars dicit hominem non teneri amare finem ultimum, neque in principio vitæ, quando nempe accipit talem discretionem, ut possit liberè bene vel malè operari; neque per decursum vitæ sequentis: *Prima & secunda* pars non sunt damnatæ, sed manent veræ, si accipiantur separatim ab aliis partibus, ad hoc enim ut tota propositio censeatur falsa & hæretica, non est opus singulas partes, sed satis est unicam esse talem, uti patet, si dicam, *Petrus est homo, Christus autem non est homo*, tota realiter propositio secundum se est falsa & hæretica, cum sit unus indivisibilis assensus, non conformis toti objecto, sed difformis objecto revelato; à toto autem desumi debet veritas, uti suppono ex *Logica*. An *tertia* pars sit damnata necne, non pertinet ad hanc materiam; videtur tamen esse falsa, quia si nulla sit vel fuerit relatio ad finem ultimum aut ad aliam moralitatem objectivam, non apparet, unde possit in actu esse vera moralitas formalis. *Quarta* pars est damnata, & ideo in quibusdam impressionibus sola pars illa scribitur majusculis: Ex hac autem damnatione constat, esse obligationem finem ultimum amandi, & hoc quidem, quamprimum aliquis discernere potest, quid sit finis ultimus. An autem homo primo instanti rationis ita obligetur se convertere ad Deum & finem ultimum, ut si non faciat, hoc ipso peccet mortaliter, disputant Authores, *Thomistæ, Nav. Tol.* affirmant; alii probabilius negant; certum videtur, quòd sæpissime à mortali excuset

excuset defectus perfectæ advertentiæ vel ad obligationem vel ad malitiam omiffionis, vel etiam ad bonitatem finis ultimi: notatque rectè *Petsch*: in app: qq: select: q. 11. §. 2., per instans usis rationis, quo tenemur diligere Deum, non intelligi aliquod instans physicum indivisibile, sed totam illam durationem, quâ homo indiget ad discernendum inter bonum & malum, & ad deliberandum quodnam ex illis sit amplectendum.

§. 2. Ex eadem damnatione colligitur, etiam 145 obligationem esse aliquando amandi finem ultimum per decursum vitæ, uti rectè probat *Mendo* supra q. 13., probabilius enim videtur, quòd illa quarta pars damnetur distributivè, ita ut non tantum vera sit hæc contradictoria, *amari debet finis ultimus vel in principio vel in decursu vitæ*, sed etiam illa contraria, *amari debet finis ultimus, & in principio & in decursu vitæ*, hoc enim censerì debet voluisse declarare Pontifex, quod aliunde certum erat ex Fide vel damnatione aliarum propositionum, sic autem erat certum nos teneri & in principio & in decursu vitæ tendere ad finem ultimum, ergo censerì debet voluisse hoc declarare Pontifex.

Q. 39. Quomodo aliquis disponi possit ad perfectum amorem Dei. R. Proponendo seqq: 146

§. 1. Amare nihil aliud est, quàm voluntate ferri in aliquod bonum, vel desiderando illud, vel de illo gaudendo, vel sibi complacendo in illo &c. Quòd si ferar in illud bonum, quia mihi amanti bonum est, dicitur amor concupiscentiæ; si autem ferar in illud, quia personæ amati bonum est, dicitur amor amicitiae aut benevolentiae.

H

§. 2.

147 §. 2. Tum amo Deum amore concupiscentiæ, si ideo amem, quia Deus mihi bonus est, v. g. quia me creavit, redemit, sanctificavit, conservat, quia mihi remisit peccata, tot gratias & beneficia contulit, universalia & particularia, quia vult mihi dare beatitudinem æternam: Tum amo Deum amore amicitiaæ seu benevolentiaæ, si ideo amem eique velim omne bonum, quia hoc Deo ipsi bonum est. Amor concupiscentiaæ est imperfectus, licet sit bonus, possitque esse supernaturalis; amor autem amicitiaæ est amor perfectus, de quo explicando nunc laboramus.

148 §. 3. Bona Dei alia sunt intrinseca, alia extrinseca: Intrinseca, sunt infinita perfectiones, quas in se habet, uti Sapiencia, Justitia, Misericordia, Æternitas, Immensitas, Omnipotentia, Pulchritudo, Bonitas, Incomprehensibilitas &c: Extrinseca sunt, quæ à creaturis fieri possunt & placent Deo, nempe quòd agnoscatur, sicuti in se est perfectissimus, quòd ametur, sicuti in se est optimus, quòd colatur, laudetur, honoretur, sicuti in se est præcellentissimus: itaque tum amabo Deum perfectè, si Deo velim ista bona, ideo, quia Deo bona sunt; si faveam illi suam infinitam Sapienciam, si gratuler de infinita potentia, si gaudeam de ipsius pulchritudine, si complaceam mihi in ejus incomprehensibilitate, si optem, ut agnoscatur, ametur, colatur ab omnibus, quia hoc ipsi placet & propter se dignus est; si orem, & quantum in me est, impediam, ne offendatur, quia ipse propter infinitam bonitatem suam, id est, propter infinitas illas perfectiones, quas habet, dignissimus est non offendi, sed super omnia amari, coli, honorari.

149 §. 4. Cùm amor sequatur æstimationem boni,
ad

ad concipiendum perfectum Dei amorem juva-
bit magnam de Deo ideam sibi formare, & quid
in se sit Deus, agnoscere ac considerare, tum ex
lumine naturæ tum ex doctrina fidei: Deus *Pla-*
toni est Genitor Universitatis, Auctor maximus,
supra omnem substantiam, plenæ perfectionis,
summum bonum: *Aristoreli*, Ens entium: *Seneca*,
summa & pulcherrima omnium natura: *Ci-*
ceroni, præstantissima mens. *Alcinoi*, se ipso per-
fectus, semper perfectus, omni ex parte perfe-
ctus; *Trismegisto* Deus est circulus, cujus centrum
ubique, circumferentia nusquam: *Platonicis*,
ipsum bonum, ipsum pulchrum: *Aegyptiis*, in-
cognita caligo, ter tenebræ: *S. Dionysio*, ipsum
esse: *S. Augustino*, sine qualitate bonus, sine quan-
titate magnus, sine indigentia Creator, sine situ
præsens, sine habitu omnia continens, sine loco
ubique totus, sine tempore sempiternus, sine ulla
sui mutatione mutabilia omnia faciens. *S. Tho:*,
Universaliter ens perfectum, cui non deest ali-
cujus generis nobilitas; actus purus: *S. Clementi*
Alexandrino, Unus omnia, in quo omnia, per
quem omnia: *S. Bernardo*, quidquid cogitas, ul-
trà non citrà quærendum est: *S. Damiano*, cujus
ineffabile est nomen & incomprehensibile: *La-*
stantio, æterna Mens ex omni parte perfectæ con-
summataque virtutis: *Cassiodoro*, Virtus inexpli-
cabilis, Pietas incomprehensibilis, Sapientia in-
effabilis; cujus definitio est finem in Sanctorum
laudibus non habere. *Ecclesiæ Catholicæ*, Rex tre-
mendæ Majestatis, solus Sanctus, solus Dominus,
solus Altissimus: *Scripturæ Sacræ*, Alpha & Omega,
Est qui est, Deus Sabaoth, Dominus Exercituum,
Deus Deorum Dominus, Dominus Dominanti-

um, Dominator Dominus, magnus Dominus & laudabilis nimis, Dominus virtutum, Dominus excelsus, magnificus, terribilis, Rex Regum, Rex magnus super omnem terram, cujus magnitudinis infinita est multitudo, cujus magnitudinis non est numerus neque finis: O Majestas! ô perfectio! ô bonitas! ô Pulchritudo! ô Deus omnia! *S. Michael* adhuc præterdit scutum & exclamat, *Quis ut Deus?* huic Deo si faves & gratularis eas perfectiones, si in eis tibi complaces, si gaudes, quia ipsi bonæ sunt, & ipse sibi in eis complacet, amas Deum perfectè.

150 §. 5. Etiam ex creaturis æstimari potest & amari Deus, nam in primis quidquid tibi occurrit in natura honestum, pulchrum, jucundum, optabile, hoc totum à Deo & in Deo est, necessariò, independenter, æternaliter, indefectibiliter. Quidquid cogitari potest æstimabilitatis, dignitatis, excellentiæ, magnificentiæ, majestatis, amabilitatis, totum in Deo est sine admixtione ullius imperfectionis. Omnia ad nutum ejus stant aut feruntur, Terra, Elementa, Cælorum orbes, Stellæ, Sol, Luna; ipsi subsunt omnes Monarchæ terræ; ipsi submittunt se Angelorum Chori, velantes facies & incessanter acclamantes, Sanctus, Sanctus, Sanctus: Quod omnium maximum est, homo-Deus infinitæ Dei majestati se per profundissimam adorationem submittit: si hæc antas Deo, de eis gaudes, hæc gratularis, quia Deo bona sunt &c.; amas Deum perfectè.

151 §. 6. Etiam sic excitari potest in Deum amor: Considera, quid ames; fortè istum hominem, quia sincerus est; illum, quia beneficus; alium, quia

quia justus ; alium, quia prudens, discretus, circumspectus ; alium , quia vir pius est & Sanctus &c. ; Amas Virtutem, quia honesta ; Cibum, quia suavis ; Potum, quia delectat ; Opes, quia utiles ; florem, quia pulcher &c. ; hæc omnia à Deo & in Deo sunt modo infinities perfectiore.

§. 7. Ut amor Dei sit perfectus, debet voluntas serió & efficaciter sic esse constituta, ut quamvis nec cœlum esset nec infernus, nec præmium ullum sperandum, nec pœna ulla timenda à Deo, tamen amaretur Deus propter se, quia in se est summè bonus. Notandum tamen est, quòd hic amor perfectus non excludat imperfectum, sed ab hoc incipiat, & ab eodem communiter adjuvetur ; hinc modus ille eliciendi amorem, non amo te, ó Deus ! quia me creásti, quia vis mihi cœlum dare, sed purè ideo, quia es propter te infinitè dignus amari, ordinariè non est suadendus, sed potius sic elici debet, amo te, ó Deus ! quia me creásti, quia vis cœlum dare ; sed magis ideo, quia ipse propter te es omninè amore dignissimus, ita ut licet non benefaceres, nec cœlum dares, tamen amarem te & amo, quia propter infinitam tuam bonitatem es amabilissimus : Et ideo etiam Innoc. XII die 12 Martij 1699: inter propositiones Archiep: Cameracensis, per quas videbatur spes excludi à perfecto amore, damnavit etiam sequentes, 1: Datur habitualis status amoris Dei, qui est Charitas pura & sine ulla admixtione motivi proprii interesse : neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem : non amatur amplius Deus propter meritum neque propter perfectionem neque propter felicitatem in eo amando inveniendam. 2: In statu vitæ contemplativæ sive

unitivæ amittitur omne motivum interessatum timoris
& spei; &c:

153 Q. 40. Quomodo practicè elici possit actus Charitatis in Deum. R. Præire debent Fides & spes, ac convenientissimè subjicitur Contritio, hoc aut simili modo:

Fides.

Omnia, mi Deus! quæcunque per Ecclesiam Unam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam proponis credenda, firmissimè credo, quia tu dixisti, qui es infinitè sapiens, Verax & perfectus. Credo te esse, qui gubernas omnia, te esse supernaturalem Remuneratorem bonorum & Punitorem malorum, Animas esse immortales, Gratiam esse necessariam ad salutem, Te esse Unum in essentia & Trinum in Personis, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, Secundam Personam esse pro nobis factam hominem & passam, Christi gratiam nobis conferri per Sacramenta, & propter ejus merita nobis promissam esse æternam beatitudinem à te Deo fidelissimo, potentissimo & misericordissimo dandam: Credo te in te ipso propter infinitas tuas perfectiones esse Deum amabilissimum, Finem ultimum rerum omnium, dignissimum non offendi sed semper amari & honorari: hæc cæteraque omnia credo, mi Deus, quia tu dixisti, qui es infinita Veritas, non potens falli nec fallere, non potens errare aut mentiri. Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.

Spes.

Spes.

Spero, mi Deus! remissionem omnium peccatorum, gratiam in fine vitæ, omnia media ad salutem, spero vitam æternam: Desidero illa omnia, quia tu es animæ meæ bonum summum & unica beatitudo; erigor autem & confido me illa omnia obtenturum per gratias & propter merita Christi, quia tu Deus es virtus mea auxiliatrix, quia tu promissisti, qui in promissis tuis servandis es Deus fidelissimus, potentissimus servare, & misericordissimus, ut serves. In te Domine speravi, non confundar in æternum.

Charitas.

Amo te, mi Deus! non ideo tantum, quia creasti me, redemisti, sanctificasti, conservas, & innumeris quotidie beneficiis cumulas; neque tantum ideo, quia insuper dare vis mihi æternam in cælo beatitudinem, sed ideo maximè & super omnia te amo, quia tu Deus es ob infinitas perfectiones tuas omni amore dignissimus: Tu es Deus sapientissimus, potentissimus, sanctissimus, pulcherrimus, indefectibilis, æternus, immensus, incomprehensibilis; tu es omne bonum in te ipso, propter te æstimari dignissimus, coli, honorari, licèt nec præmium à te sperandum nec pœna timenda esset. Illas tuas perfectiones tibi ex animo faveo & gratulor, gaudeo te ab hominibus agnosci, te ab Angelis tuis incessanter

laudari , te tibi complacere in te ipso : Utinam cessent omnia peccata hominum , quia tibi infinite bono mala sunt : utinam te creaturæ omnes ament, revereantur, adorent, quantum possunt, & sicuti propter infinitam tuam Excellentiam mereris : utinam in omnibus impleatur tua sanctissima voluntas, & fiat semper, quod tibi maxime est placitum : Ex hoc in te amore, mi Deus! amo Angelos & homines ejusdem mecum beatitudinis capaces, amo me ipsum, sed semper propter te, quia tu infinite bonus hoc vis, & tibi hoc placet, quia tibi bonum est, quod ita ab omnibus & in omnibus agnoscaris, ameris, lauderis.

Contritio.

156 **E**X hoc eodem tui amore, ô Deus! detestor omnia peccata, quia tibi summè bono displicent : Doleo de omnibus, non tantum quia demeritus sum præmia & gratias tuas, ac è contrà à divina tua Justitia promeritus sum pœnas, sed maxime ideo, quia displicui & malum feci tibi, qui, licet nec cœlum esset nec infernus, nec præmium vel pœna, attamen propter infinitam bonitatem & perfectionem tuam eras & es dignissimus non offendi, sed semper amari, coli, honorari : Propono per gratiam tuam in posterum non facere amplius.

157 *Q. 41. Quomodo præterea possit voluntas nostra exerceri in actibus amoris perfecti. R.* Subjiciam aliquos modos ex Scriptura, Sanctis Patribus & Auctoribus asceticis, ut quisque in promptu habeat ad suos & aliorum usus.

Amor

Amor affectivus.

Diligam te Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum & refugium meum & Liberator meus. *Pf. 17.* ô Domine, qui introspicis cor meum, tu scis, quia amo te: Domine tu scis, quia amo te, *Joan. 21.* Tu Domine interiora mea nosti, & quantum in anima mea mihi conscius sum, videor mihi, quòd te in veritate diligam, & quòd neque fictus neque simulatus amor sit, adeo ut sui proditor cor meum esset, si in hoc ipso se-ipsam falleret. *S. Aug. 30. Conf. c. 9.* O Deus, Cor mihi testatur, quòd te diligat, & tibi offert omnes Filii tui tuosque ipsius amores, ad succurrendum desiderio, quod habeo, te perfectissimè amandi. O Deus amor meus, qui semper ardes, nec unquam extingueris: O Charitas, Deus meus, accende me; fac, ut te inveniam, ô cordis mei desiderium! Teneam te, ô amor animæ meæ! Possideam te in medio cordis mei, Vita beata, Dulcedo summa animæ meæ, *S. Aug. 10. Conf. c. 29.* Pondus meum, Amor meus, eò feror, quocùnque feror, *S. Aug. 13. Conf. c. 9.* Deus meus, Amor meus, tu totus meus & ego totus tuus; dilata me in amore, ut discam interiori cordis ore degustare, quàm suave sit amare, & in amore liquefieri & natari; teneam amore, vadens supra me, præ nimio fervore & stupore cantem amoris canticum, sequar te Dilectum meum in alto, deficiat in laude tua anima mea, jubilans ex amore; amem te plus quàm me, nec me nisi propter te, & omnes in te, qui

verè amant te, *Th. de Kemp.* de imit. Chr. l. 3. c. 5. Abforbeat me quæso Domine vis ignita & melliflua amoris tui, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es in ligno crucismori, *S. Franc. Assis.* O Deus meus; ô amica quies cordis mei! ô ardor & suavitas Deus meus & omnia! *Idem.* Desidero te millies, mi Jesu! quando venies? *S. Bern.* Amo te Deus meus & magis atque magis amare te desidero: serò te amavi pulchritudo tam antiqua, pulchritudo tam nova, serò te amavi, *S. Aug.* O indignitas! ô Jesu! quia amor tuus non amatur, non æstimatur, imò vilipenditur; totus amor es, & non amaris. *S. Jacoponus.* O Spes mea! Gloria mea! Gaudium meum! ô amabile principium meum! ô satietas & sufficientia mea! quando erit ille dies, cum te verè & ex toto corde diligam? quando me tibi gratum in omnibus & pro omnibus exhibebo? quando mortuum in me sentiam omne id, quod tibi ad-versatur? quando ero totus tuus? quando desinam esse meus? quando veniet illa hora, in qua nihil præter te in me vivet? quando me totum amore tui inflammatum sentiam? quando rapies me cum impetu, quando inebriabis me uberum tuorum dulcedine? quando me totum in te transferes? *Lud. Granat.* l. 5. memorialis. Diligam te, Domine, amore arctissimo fortissimoque, extendam omnium affectuum & desideriorum meorum brachia, ut amplectar te, Sponsæ dulcissime animæ meæ! hedera vicinam arborem tam fortiter apprehendit, ut singulæ fibræ singula videantur esse brachia, cur similiter omnia membra mea non vertuntur in brachia, ut omni ex parte amplectar te? *Idem* in 1. appen.
me-

memor. O æterna Veritas ! ô vera Charitas & chara Æternitas ! tu es Deus meus , tibi suspiro die ac nocte, *S. Aug.* 7. Conf. c. 10. Vide Domine , Domine meus unde sit desiderium meum, narraverunt mihi iniusti delectationes suas , sed non sicut lex tua Domine : ecce unde est desiderium meum , *Idem* 11. Conf. c. 2. Tumultuosis varietatibus dilaniantur cogitationes meæ , intima viscera animæ meæ , donec in te confluum purgatus & liquidus igne amoris tui, *ibidem.* c. 29. Da mihi te , Deus meus ! redde te mihi, te enim amo , & si parum est , amem validius , non possum metiri , ut sciam, quantum desit mihi amoris ad id, quod satis est , ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur, donec abscondar in abscondito vultûs tui ; hoc tantum scio, quia malè mihi est præter te, non solum extra me, sed & in me ipso, & omnis copia , quæ Deus meus non est, egestas est, *Idem* 13. Conf. c. 18. Oro te, cognoscam te, amem te, ut gaudeam de te, *S. Ansel.* in profol. c. 26.

Amor effectivus.

JAM dixi & dicam , amore amoris tui facio 158
 istud, *S. Aug.* 11. Conf. c. 1. O Ignis, qui me accendis ! ô Charitas quæ me inflammas ! ô Lumen me illuminans ! ô Requies mea ! ô Vita mea ! ô Amor meus , qui semper ardes & nunquam extingueris, quando te perfectè redamabo ? quando te nudis animæ meæ brachiis amplexabor ? quando me & mundum universum amore tui contemnam ? quando anima mea cum omnibus
 poten-

potentiis & viribus ejus tecum unietur? quando in abyſſo amoris tui abſorbebor? *Lud. Granat.* in proœ. l. 4. de Orat. & Medit. Dulciſſime, amantiſſime, pulcherrime, ſapientiſſime, ditiffime, nobiliſſime, pretioſiſſime & digniſſime, qui ameris & adoreris, quando ſic te amabo, ut in amore tui totus jaceam abſorptus? ô vita Animæ meæ, quæ, ut me vivificares, mortem ſubiſti, & moriens mortem occidiſti, occide etiam & me, hoc eſt omnes meas perverſas ad malum pronitates, voluntatem quòque propriam, & quidquid impedit, quò minùs tu mecum vivas, *Idem ibidem.* Age Domine & fac, excita & revoca nos, accende & rape, flagra, dulceſce; jam amemus & curramus, *S. Aug.* 8. Conf. c. 4. Sed, ô Domine! quid tibi bonum exhibere poſſum, cum Creaturis non indigeas, & te ipſo infinitè bono ſemper gaudeas? quia tamen vis, ut in effectu monſtrem, quantum te amem, ad hoc intendam vires animæ & corporis: tu ergo, Domine, diu noctuque eris objectum mentis meæ, ſemper ſuaviſſima recordatio tui præſentis obverſabitur memoriæ, ſemper intellectum occupabit cogitatio perfectionum tuarum, ſemper voluntas recreabitur in bonitate tua, à manè uſque ad vesperam attendam ad nutus SS: tui beneplaciti, ut eos perfectè expleam. Outinam loqui poſſem & ſentire cum *S. Paulo*, quòd in laboribus & adverſitatibus mihi complaceam propter amorem Dei mei, non ſit periculum, non incommodum, non fames, non nuditas, non perſecutio, non ſervitus, non tentatio, non afflictio, non morbus, non ſupplicium, non mors, non hominès, non Tyranni, non Dæmones me ſeparent à Charitate Dei, quæ eſt in
Chriſto

Christo Jesu Domino nostro. Amore tui, mi Jesu! hodie frænabo hanc in me passionem, abstinebo ab isto consortio, exercebo istam virtutem: Amore tui faciam hoc opus: super cuncta sis amatus, super cuncta sis laudatus, Deus mea gloria.

Amor appetitivus.

O Jesu mi! dulcis amor, nil diligo præ te, *B. Vi-* 159
ctoria. Quidquid non est Deus, hoc omnino mihi nihil est, *S. Franc. Salesius.* Deus meus & omnia, *S. Franc. Assisias.* Sine illo nihil est, solus ille est, quem laudo, extra illum contemno omnia: Pater meus ipse est, protector meus ipse est, curator meus semper est; ipsi soli studeo, ipse tota mea scientia est, mea spes & desiderium, thesaurus meus & felicitas. Si trahant voluptatum illecebræ, dicam, quis ut Deus? quid ita delitiosum & amabile? Si alliciant honores, tentent homines, infestent Dæmones, creaturæ omnes inficientur, semper dicam, quis ut Deus? quid Deo melius? Hic solus est amari dignus, quia solus sine nube purissimus, sine labe sanctissimus, sine admixtione mali optimus, sine pari maximus, sine defectu perfectissimus, solus omnia, solus supra omnia. Plùs ego te diligo Deus, quàm omnes mundi voluptates, honores & divitias: pudet quidem hæc dicere, quid enim æquius est, quàm ut te magis diligam? dico tamen iterum, amo te, mi Deus! plùs quàm res omnes creatas, quia quidquid in his bonum est, à te est & in te eminentissimè: amo te plùs quàm amicos, propin-

pinquos, parentes ; plus quàm me ipsum, quia nemo bonus nisi tu solus Deus. Dico tibi, Deus meus es tu, & verè quantus tu mihi sis, exprimere non possum, unde cum *Augustino* tuo exclamo, quid mihi es, & quid tibi sum ! ô Domine, totus tuus sum ; omnia, quæ intra me sunt, volo esse tua : Anima mea tua fit, nec vivat alteri nisi tibi, voluntas mea tua fit, nec amet quidquam nisi te ; amor meus tuus fit, nec in aliud feratur quàm in te, quia nemo dignus est, nisi tu solus ; intellectus meus tuus fit, nec aliud cogitet nisi te ; omnis intentio mea tua fit, nec aliud quærat nisi te, quia nemo dignus est, nisi tu solus Deus.

Amor, Dei perfectiones admirans.

160 **D**omine, qui non es aliàs aliud & aliàs aliter, sed idipsum & idipsum & idipsum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Omnipotens, sis infinitè benedictus, *S. Aug.* 12. Conf. c. 7. Hei mihi, quàm excelsus es in excelsis & quàm profundus es in profundis & nusquam recedis, *Idem* 8. Conf. c. 3. Pulchra sunt omnia faciente te, & ecce tu inenarrabiliter pulchrior, qui fecisti omnia, *Idem* 13. Conf. c. 20. Excita nunc, Anima mea, & erige totum intellectum tuum, & cogita, quantum potes, quale & quantum fit illud bonum ; si enim singula bona delectabilia sunt, cogita intentè, quàm delectabile fit illud bonum, quod continet jucunditatem omnium bonorum, & non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tantò differentem, quantò differt Creator à creatura, si enim bona est vita creata, quàm

quàm bona est vita Creatrix! Si jucunda est salus facta, quàm jucunda est salus, quæ facit omnem salutem! si amabilis est sapientia in cognitione rerum conditarum, quàm amabilis est sapientia, quæ omnia condidit ex nihilo! denique si multæ & magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus, qualis & quanta est delectatio in illo, qui fecit ipsa delectabilia, *S. Anselmus* in *prosol.* c. 24. Summe, optime, potentissime, misericordissime & justissime, secretissime & præsentissime, pulcherrime & fortissime, stabilis & incomprehensibilis, immutabilis mutans omnia, nunquam novus, nunquam vetus, innovans omnia, *S. Aug.* 1. *Conf.* c. 4. Domine, non solùm es, quò majus cogitari nequit, sed es quiddam majus, quàm cogitari possit, quoniam namque valet cogitari esse aliquid hujusmodi, si tu non es hoc ipsum, potest cogitari aliquid majus te, quod fieri nequit: *S. Ansel.* in *Prosol.* c. 15. Tu in omni re perfectus es sine aliqua deformitate, magnus sine quantitate, bonus sine qualitate, fortis sine infirmitate, verus sine falsitate, sine loco ubique præsens, sine divisione in omni loco totus, in magnitudine es infinitus, in virtute omnipotens, in bonitate summus, in sapientia inæstimabilis, in consiliis terribilis, in judiciis justus, in cogitationibus secretus, in verbis verus, in operibus sanctus, in misericordia copiosus, erga peccatores patiens, erga pœnitentes pius, *Lud. Granat.* l. 5. memor. Tu es pelagus omnium perfectionum, omnis magnitudinis abyssus, infinitæ misericordiæ atque bonitatis oceanus, incomparabilis pulchritudinis imago: Tu es Deus Deorum, Sanctus Sanctorum, Rex Regum, Dominus

nus

nus Dominantium, Causa causarum, Ens entium, Vita viventium, ordo universi, pulchritudo mundi, gloria cœli, *Idem* l. 6. memor.

Amor in bonis Dei complacens.

161 **B**enedictus es, Domine Deus Israel Patris nostri, ab æterno in æternum; tua est Domine magnificentia & potentia & gloria atque victoria, & tibi laus, cuncta enim, quæ in cœlo sunt & in terra, tua sunt; tuum, Domine, regnum & tu es super omnes Principes: tuæ divitiæ, & tua est gloria, tu dominaris omnium; in manu tua virtus & potentia, In manu tua magnitudo & imperium omnium; nunc igitur, Deus noster, confitemur tibi & laudamus nomen tuum inclytum, *David*, 1. paral. c. 29. O Divinitas! omnis boni primæva & interminabilis possessio, omnis vitæ infenescibilis tota simul & perfecta possessio, omnis beatitatis sine principio & sine superplenissima fruitio, Deus amabilissime, noverim me, noverim te. *S. Aug.* Amabilissime Deus, dicere non possum, tu nosti, quomodo intus afficiar, dum cogito, quod sis, qui es, Deus infinitus, ineffabilis, incomprehensibilis; qui intelligentiâs omnes profunditate excedis, affectus æquas latitudine, amores omnes inaccessâ abyfso ob infinitos titulos absorbes, tu totus bonus es, totus speciosus, sanctus, sapiens, potens, justus, misericors, imò ipsa pulchritudo, sapientia, potentia, justitia, misericordia & perfectio omnis, & complexio omnium perfectiorum, semper æterna, semper necessaria, semper eadem

eadem:quàm gaudeo tibi gratulor, mi Deus!
quòd nulli vicissitudini, progressui, defectui, de-
clinationi sis subjectus, sed omnem perfectionis
modum indivisibili tuo esse immutabiliter com-
prehendas! faveo tibi, quòd omnia spatia uni-
versi impleas, extendas, ambias, neque tamen ab
iis continearis: animitus tibi gratulor, quòd tem-
pora omnia possibilia ab æterno in æternum an-
ticipes, protendas, circumscribas, neque tamen
terminis ullis durationum definiaris, sed in mo-
mento rerum præteritarum, præsentium & fu-
turarum, moras, motus & successiones metia-
ris: de omnibus his gaudeo, non minùs quàm si
perfectiones illas tecum participarem. O dele-
ctabile spectaculum, dum contemplor creaturas
omnes etiam ratione destitutas & insensibiles in
observationem ordinis, quem illis æterna lex
tua præscripsit, tantâ concordia & sedulitate
conspirare, ut etiam se consumant, ne ullam sa-
pientiæ tuæ dispositionem perturbent: decurrunt
astra per vices, volvuntur cœli per gyros, Sol &
Luna observatis accessibus ac recessibus circum-
aguntur, nec in puncto à præscripta femita de-
flectunt, ut sic perpetuò sapientiæ tuæ magnitu-
dinem nobis eloquantur: fulmina ejecta se con-
ficiunt, nubes depluentes se ipsas perdunt, ignis
ardens semet perimit, aër difflatur, terra fatiscit,
rupes dissolvuntur, elementa transmutantur, ut
imperiis tuis obtemperent: Benedictus sis Deus
in throno Divinitatis tuæ, qui omnia ita fortiter
disponis, suaviter gubernas, inenarrabiliter di-
spensas. Da, Domine, ut comprehendam, quæ
sit longitudo, latitudo, sublimitas & profundum

I

divi-

divinitatis tuæ: tu pelagus infinitum essentiæ, omne esse & omne bonum in te concludens & ab æterno eminenter anticipans, tu omnium principium, omnium finis, omnium locus, omnium ævum, omnium ordinatio, omnium consummata felicitas: tu Deus omnia. Quàm gaudeo, Deus immense, quòd te habeam ubique præsentem per essentiã, potentiam & operationem; quòd videam in omnibus quasi pronunciantem; quòd sentiam in me toto, ac præsertim in fundo animæ meæ amicissimè conjunctum; apud te rerum omnium mutabilium immutabiles sunt rationes, tu semel æternus semper idem, nihil amittis, nihil acquiris, quia per essentiã habes & es omnia. Complacere mihi intimè, ô Deus! & tibi gaudeo, quia es eminentissimè omnis splendor astrorum, omnis amœnitas hortorum, omne pretium gemmarum, omnis decor colorum, omnis suavitas saporum, omnis fragrantia odorum, omnis magnificentia ædificiorum, omnis pulchritudo rerum omnium, omnis oblectatio sensuum, omnis voluptas cordium: Tu sine figura pulcher, sine tempore æternus, sine loco immensus, sine extensione diffusus, sine situ altus, sine numero infinitus, sine multiplicitate omnia: tu centrum es universi, omnis amoris illicium, omnis motionis terminus, omnis desiderii consummatio. Magnificentissime Deus! in ditione tua posita sunt omnia: tu es Dominus vitæ & necis: gratulor tibi, quod nihil possit resistere voluntati tuæ.

Amor

ejus : benedicite pariter mecum Domino omnes Angeli & Archangeli , omnes Principatus & Potestates , omnes Virtutes & Dominationes , omnes Throni , Cherubim & Seraphim , benedicite , laudate & superexaltate eum in sæcula , quia fecit nobiscum misericordiam suam ; laudent illum Cœli , Terra , Mare & omnia , quæ in eis sunt , laudent & superexaltent in sæcula , illi honor , illi benedictio , illi gratiarum actio ab omni creatura in omnes generationes sæculi sæculorum.

Amor detestans , quæ Deo mala sunt.

463 **S**I quid , Domine , ad impetrandam gratiam præservationis à peccato mihi patiendum est , si cruces , si labores , si tormenta , si ignominia , si persecutiones , si mortes , si omnes inferni pœnæ sustinendæ sunt , veniant , Domine , veniant , obsecro , ex nunc omnia ista super me ad tempus vel in sempiternum , si tibi placuerit , dummodo , Domine , te non offendam . Quidquid , Domine , omnipotentia tua facere potest , ut patiar , pati volo & acquiesco & eligo & rogo , dummodo non permittas , ut te offendam : *Alex. à S. Franc. solil. 4.* Quàm mihi dolet , ô amantissime Salvator , quòd tot hæreses & infidelitates videam ! digna erat infinita tua Veritas , ut agnosceretur ab omnibus . En in mundo dominatur omnis malitia contra sanctissimam voluntatem tuam , blasphemat sanctum nomen tuum , ecce Domine infernus repletur animabus æternùm te maledicturis , qui debuisti ab iisdem æternùm benedici :

dici : ah potentissime Deus habe curam gloriæ tuæ, desinant tandem impietates peccatorum : tu in compensationem laudis, in suppletionem omnis gloriæ, quæ tibi negatur à dæmonibus, damnatis & ingratis peccatoribus, attende ad Sanctorum omnium laudes, ad tuum in dilecto Filio tuo & in te ipso sanctissimum beneplacitum.

Amor conformans se voluntati Dei.

TU Pater solus bonus es, tu solus pulcher, tu ¹⁶⁴
 solus amabilis, tu solus animarum nostrarum sponsus es, ideoque tu solus regna, tu solus impera, tu solus dominare, tu solus voluntatem meam dirige, tu solus Rex meus esto, & ego fidelis tuus subditus : pectus meum in te solo recreetur, cor meum in te solo quiescat, Anima mea te solo repleatur, *Lud. Granat. l. 7. memor. in medit. 3.* Parum est, Domine, si tibi promittam me posthac perfectè mandatis tuis obtemperaturum, non minimam ex tuis legibus violaturum, plus aliquid prætendo, & per tuam gratiam desidero, me divinæ tuæ voluntati sic in omnibus conformare, ut in cunctis consiliis, inspirationibus, motionibus sim totus semper supplex & subditus beneplacito tuo : symbolum meum erit, quod *S. Gertrudis* Virgo trecenties sexagesies quinquies per diem repetebat, *fiat voluntas tua, Domine, non mea* : nomen meum erit posthac, quod vult Deus quia quod vis, hoc volo, in lætis & tristibus, & in adversis & prosperis, in morbis & sanitate, in vita & morte : in omni-

bus vox mea semper erit, Deus ita vult, propterea & ego sic volo, sic volo, quia Deo placet, & ita rem unicam in mundo faciam semper, nempe quod tu vis Deus. Deus optime, maxime, ad testandum amorem erga te meum, accepto hanc afflictionem, hanc injuriam, hoc damnum, atque in omnibus, quæ mihi accidere possunt, in sanctam voluntatem tuam me resigno. Sapientissime Deus, abjicio me totum in dispositiones infinitæ tuæ providentiæ, fac mecum sicut scis & vis, ut te amem, benedicam, glorificem in omnibus & super omnia.

Amor Glorie Dei.

165 **L**Audent te Deus noster in excelsis omnes Angeli tui, omnes virtutes tuæ, Sol & Luna, omnes stellæ & lumen, cœli cœlorum & aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen tuum. *S. Aug. 7. Conf. c. 13.* Ecquando tamen ô Deus! te agnoscent homines, sicuti in te es perfectissimus, quando amabunt te, sicuti es infinitè bonus, quando te colent, uti es præcellentissimus: Domine da gloriam nomini tuo, & fac illud celebrari ab omnibus.

Amor Dei se ad proximum extendens.

Non amo te, mi Deus, si propter te non amem proximum: amo itaque illum, quia creatura tua est, quia vis eum amari, & in eo vis ipse amari: amo quia imago tua est, quia tibi placet eum à me amari. Bene sit omnibus, ô Domine,
etiam

etiam inimicis meis, qui si propter se digni non sint, quos amem, tu tamen dignus es, propter quem illos amem. O Domine, si te homines noscent. *S. Ignatius Loyola*: Memento clementissime rerum omnium conditor Deus animarum infidelium, hæreticorum & peccatorum à te creatarum, quas ad imaginem & similitudinem tuam fecisti, ecce Domine in opprobrium tuum his ipsis quotidie impletur infernus, *S. Franc. Xav.* Quando tandem in ovile Christi redibunt tot errantes populi, ut agnoscant nomen sanctum tuum: memento Domine omnes esse creaturas tuas, Christi sanguine emptas eo fine, ut te æternùm benedicant; revoca eas Domine sub triumphale vexillum tuæ charitatis.

Amor paciscens.

[Neamus itaque (si sic tibi placeat Domine) pactum, tu curam habe mei, & ego curam habebō tui; tu diliges me & ego diligam te; tu corpus & animam meam protege ac conserva, & ego legem tuam te juvante observabo; fac mecum Domine, quod tibi placet, tu enim scis, quid desit mihi, & quid expediat mihi, tuus esse volo & non alterius, da mihi gratiam Domine, ne quidquam præter te quæram aut desiderem. *Lud. Granat.* in procem. l. 4. de Medit. & Orat. O Deus! quoties vena micabit in corpore, toties volo, ut in laudes tuas exfiliant omnes creaturæ & cor meum te super omnia amet; quoties hominem intuebor, toties constituo, ut te supremum Dominum vitæ & necis demississimo af-

fectu reverear. Magne Deus, tibi me-metipsum offero & confecro per donationem & pactum irrevocabile, omnes actiones sensuum, imaginationes phantasiae, cogitationes intellectus, recordationes memoriae, affectus voluntatis, verba omnia, actiones singulas manuum, motus pedum, singulas palpitationes cordis, momenta vitae omnia, omnia, quae dono tuo mea sunt, dono meo tua sunt, tibi illa iterum offero, dico, transcribo, & insuper volo, ut ab hoc momento usque ad vitae finem & inde usque in perpetuam aeternitatem amoris tui sigillo consignentur, tibi soli in posterum deserviant & placeant.

Amor excessivus.

- 167 **A** Mem te, mi Deus, plus quam Angeli & Beati, plus quam Seraphini omnes; amem te amore omni possibili, utinam totus in flammam redigar amore tui. O Deus! quod te tantum non possum amare solus, quantum simul omnes Animae beatae: eccur mihi cor in amore tuo non est adeo inflammatum, sicut omnium simul Martyrum & Sanctorum corda. ô si, qui in omnibus sparsim exarserunt, nunc collectim in una mea anima flagrant amores, *S. Franc. Assis.* O Deus meus! utinam amor tantus mihi sit & fervor, quantus est possibilis; amem te amore omnium possibilium creaturarum, amem te amore, quo te ipsum amas infinite. Quis det, ut ameris juxta mensuram dignitatis tuae, late ab omnibus in mundo creaturis, alte amore sublimissimo tuae excellentiae digno, profundè cum demississima agnitione nostri nihili,

nihili , longè ab hoc momento in æternum & ultrà. Si tibi , mi Deus , aliqua perfectio imaginabilis deesset, quæ in me aut in potestate mea esset, libens me illâ spoliarem , ut si talis non esses, redderem te perfectissimum & amabilissimum. Protestor , Domine mi , quòd nec gloriam æternam velim , quatenus bona mihi est, sed quia dignus es , ut per gloriam meam tu glorificeris & in æternum ameris à me & ab omni creatura , *Pauluski die 6. med. 1. p. 3. ô Verbum divinum!* cur pati me non facis infernum & vitam amittere , ut saltem in aliqua parte placarem iram Patris tui : Domine , si non vis mihi facere istam gratiam concedendi mihi has animas , quas à te flagito , dicam ego me nolle venire ad possidendam gloriam à te mihi præparatam , *S. Maria Magd. de pazzis in ejus vita. c. 99.*

Utere libello, quem post hæc descripta accepi, hoc titulo : *Aspirationes Theologicæ in 52 anni Hebdomadas distributæ à P. J. N. Societ: IESU &c. Pragæ typis Universitatis in Collegio Soc: IESU ad S: Clementem* : hic libellus focum habet , æstuat ignibus, vibrat flammæ, sed præcipuè apud animam Theologiæ principii imbutam. Similia invenies ex *Ludov: Blossio apud Anton: Sucquet in via vitæ l. 3. c. 20. in fine.* Charitatem Dei non stare cum peccato mortali, probabitur l. 6. quando de Pœnit: & Contritione.

CAPUT II.

De Præceptis Charitatis erga
proximum.

- 168 » **C**haritas proximi præcipit 1. Ordinem in eo
 » diligendo. 2. Dilectionem inimicorum. 3.
 » Eleemosynam, 4. Correptionem fraternam.
 » Deinde prohibet 1. odium proximi, 2. scanda-
 » lum. 3. ne injuria, bellum, aliudve grave da-
 » mnum, vel malum inferatur : De quo postre-
 » mo agetur in Decalogo ; de reliquis hïc.

DUBIUM I.

169 ad 173. *Quis ordo servandus inter personas, que
diliguntur.*

- » Resp. I. Ordine Charitatis quisque tenetur
 » post Deum diligere 1. Seipsum, secundùm bo-
 » na spiritualia. 2. Proximum, quoad eadem bo-
 » na. 3. Seipsum, quoad bona corporalia, 4. Pro-
 » ximum, quoad eadem. 5. Denique seipsum, &
 » deinde proximum, quoad bona externa. *Ita*
 » *Lay. l. 2. t. 3. c. 3. ex S. Tho. & communiter. Unde*
 » *resolvuntur casus :*
 » I. Peccat contra charitatem suam, qui salu-
 » tem suam spirituales, vel corporales negli-
 » git : quod grave est, si fiat sine causa & cum gra-
 » vi damno, v. g. mortis, vel gravis morbi. *Trull.*
 » *l. 2. c. 6. d. 1. n. 1.*
 » II. Nullius boni consequendi causâ licet pec-
 » care,

care, etiam venialiter, quia talis vellet sibi ma-
lum spirituale. *Laym. ibidem.*

III. Tenetur quisque proximo in extrema
necessitate spirituali constituto succurrere, et-
iam cum certo vitæ periculo: dummodo sit æ-
què certa spes illum iuvandi, neque gravius in-
de malum immineat: v. g. teneris cum vitæ pe-
riculo baptizare vel absolvere moriturum, si
alius non adsit, qui id faciat *S. Aug. lib. de mend.*
S. Thom. 2. 2. qu. 26. a. 5. & qu. 44. Regin. l. 4. c.
25. f. 6.

Dixi, in extrema, v. g. quâ certò putetur mo-
riturus in mortali, quia in gravi tantùm obliga-
tur is, qui ex officio alienam salutem curat, ut
Parochus; cui ideo non licet fugere tempore
pestis, nisi substituto æquè idoneo. *Val. to. 3. disp.*
3. q. 4. punct. 3. & Lay. l. c.

IV. Ordinariè non licet vitam suam postpo-
nere alienæ. Addo ordinariè: quia licet, si sit per-
sona publica, à qua multùm pendet, uti etiam
pro Republ.; pro fide, religionè defendenda;
imò etiam pro amico propter Deum dilecto,
Less. lib. 2. cap. 9. d. 6. n. 27. & 30. 31. Lay. l. c. n. 4.

Resp. II. Quoad proximos inter se, servan-
dus est hic ordo: 1. Qui melior est, magis dili-
gendus est, eâ dilectione, quam comitatur gau-
dium circa bona possessa, item honor, cultus &
reverentia, sic, v. g. plùs diligendus est vir
sanctus, quàm parens improbus, Ratio, quia est
magis conjunctus cum præcipuo objecto Cha-
ritatis, quod est Deus. Item parentes magis
quàm filii vel uxor; magisque benefactores,
quàm ii, quibus benefecimus, *Lay. l. c. n. 5. & 6.*
& comm. 2. Appretiativè; & dilectione eâ, quâ
alteri

»alteri optamus bonum nondum possessum
 »cum beneficentia, magis diligendi sunt ii, qui
 »nobis sunt conjunctiores, quoad ea bona, quæ
 »sunt debita tali conjunctioni, & in quibus hæc
 »fundatur. *Unde resolves:*

» I. In bonis pertinentibus ad naturam & vi-
 »tam corporalem conservandam, succurren-
 »dum est (extra necessitatem extremam) Pri-
 »mò omnium, uxori; quia est una caro cum vi-
 »ro. 2. Filiis. 3. Parentibus, & quidem Patri præ-
 »matre. 4. Fratribus, fororibus, deinde propin-
 »quis, domesticis, & familiaribus. Dixi, *extra ex-*
 »*tremam necessitatem*, quia in hac parentes, eò
 »quòd vitam dederint, præferendi sunt etiam
 »uxori, & liberis. *Laym. ib. num. 5. & 6.*

» II. In rebus pertinentibus ad civilem com-
 »municationem, præferendi sunt concives; in
 »bellicis, commilitones; in spiritualibus, spiritua-
 »les filii, patres, fratres. *Bannes* tamen probabi-
 »liter docet, parentes carnales, etiam in spiritua-
 »libus, aliis omnibus præferendos, quia con-
 »junctio carnalis est fundamentum aliarum con-
 »junctio-*rum. v. Lay. l. c.*

A D D E N D A.

169 Q. 42. *An teneamur proximum diligere actu in-*
terno & formali. R2. Tenemur, uti patebit ex seqq:

§. 1. *Sequentes propositiones damnatæ sunt*
ab Innoc. XI. 10. Non tenemur proximum diligere a-
ctu interno & formali. 11. Præcepto proximum dili-
gendi satisfacere possumus per solos actus externos. Ita-
que certum est, nos non satisfacere præcepto di-
ligendi proximum, si ei externè demus signa di-
lectionis, si eum juvemus, ei succurramus exteri-
us,

us, quando est in necessitate, sed præterea requiritur, ut hoc facientes habeamus actum internum, quo bene velimus proximo, sicuti enim tenemur nos internè diligere & nobis bene velle, ita etiam tenemur diligere proximum, cum præceptum *Luc. 10.* dicat, *diliges proximum sicut te ipsum.*

§. 2. Datur obligatio per se & ratione præcepti Charitatis ad diligendum proximum actu interno & formali, nullum omnino excludendo, sed in universali omnes complectendo, etiam inimicos, ita omnes cum *S. Thoma 2. 2. q. 25. a. 8. in O.* Ratio est, quia præceptum Charitatis absolute dicit, *diliges proximum*, vox autem illa, *proximus*, complectitur omnes ejusdem nobiscum beatitudinis capaces, etiam inimicos. Quando nam verò & quàm sæpe repeti debeat illa dilectio proximi, de illo nihil est declaratum vel expressum, sed cum *1. Petri 4* dicatur, *mutuam in vobismet ipsis charitatem continuam habentes*, videtur colligi, quòd frequenter eliciendus sit ille actus, aut quòd saltem in illo semel elicitio sit virtualiter permanendum.

§. 3. Non est per se obligatio, ut diligantur singuli in individuo proximi, nam de hoc nullum exstat præceptum, & re ipsa est impossibile; nihilominus requiritur in nobis præparatio animi, ut parati simus singulos, etiam inimicos, diligere, si occasio vel necessitas postulet, *S. Thom. supra.*

§. 4. Si odium hujus numero proximi vel discordia aliter dimitti non possit, quàm si hic numero diligatur actu interno & formali, erit per accidens obligatio ad hunc sic diligendum, cum enim

enim

enim actus internus in his circumstantiis fit unicum medium ad deponendum tale odium, quod quis graviter obligatur deponere, patet esse obligationem adhibendi illud medium, qui enim tenetur ad finem, tenetur ad medium necessarium. Similiter si occurrat obligatio succurrendi necessitati extremæ vel gravi hujus numero proximi, docet *Granado* 2. 2. cont. 3. t. 6. d. 6. n. 2. esse simul obligationem eum diligendi actu interno & formali, quia tum tenetur succurrere proximo, ergo etiam tenetur habere voluntatem succurrendi, hæc autem voluntas succurrendi est amor internus. Extra casus illos docet *Carden.* in 2. crisi. d. 8. n. 31. non esse per se obligationem actu interno & formali diligendi hunc vel illum in individuo proximum.

173 §. 5. Optimè satisfiunt præcepto Charitatis erga proximum, si hic diligatur propter Deum, v. g. quia Deus summè bonus vult, quia Deo infinitè bono sic placet; tum enim manet Charitas proximi, & quidem perfectior, *Carden.* n. 40.

174 Q. 43. An Pastor cum quocunque damno suo teneatur subvenire subdito in gravi necessitate spirituali constituto. R. Nomine Pastoris veniunt Episcopi, Parochi & alii ex officio curam animarum habentes, de quibus omnibus certum est sub mortali teneri succurrere subdito, non tantum in extrema, sed etiam in gravi necessitate spirituali constituto; & ad hoc quidem tenentur cum quantumcunque magno suo detrimento temporali, imò & cum vitæ propriæ damno, ita *S. Thom.* 2. 2. q. 26. a. 5. ad 3. & q. 185. a. 5. *Suar.* q. 1. p. 2. §. Quartò dico. *Granad.* d. 4. n. 4. *Castrop.* d. 1. p. 9. *Con.* d. 25. d. 7. concl. 1. & 3. *Aravio*, *Bann.*

Bann. Arrag. Nav. Tapia, quos citat & sequitur *Carden.* in 1. crisi d. 76. c. 2. *Probat*ur 1. nam assumens officium Pastoris ad hoc se obligavit veluti per pactum, ideoque communitas ipsi assignavit proventus ac stipendia. 2. Sic tenetur Bellidux adesse exercitui, Gubernator Urbi de salute temporali periclitanti, ergo multò magis Pastor subdito periclitanti de salute Animæ. 3. Unusquisque tenetur etiam cum damno vitæ succurrere proximo in extrema necessitate spirituali constituto, ergo Pastor tenebitur etiam in gravi; Ratio enim & communis sensus dicit proprium Pastorem ad amplius teneri erga oviculam, quàm extraneum. Addit *Suar.* d. 9. f. 2. n. 5. etiam teneri cum periculo magni damni temporalis, si tantum sit magna utilitas spiritualis, ad hanc enim subdito procurandam se ex vi officii obligavit.

Q. 44. *Quenam necessitas spiritualis dicatur extrema, gravis vel communis.* R. Extrema est, cum proximus versatur in periculo proximo damnationis æternæ; item quandoque, si sit in periculo proximo peccandi mortaliter ex vehementia passionis vel tentationis. Gravis est, si non sit quidem periculum proximum damnationis æternæ, attamen sunt circumstantiæ, quæ salutem æternam reddunt difficilem. Communis est, in qua communiter sunt peccatores in mortali constituti, ita *Carden.* supra: Et de his plura videri possunt apud *Valent.* 2. 2. d. 3. q. 4. p. 3. *Bonac.* in 1. præc. dec. d. 3. q. 3. p. 4. n. 5. *Baldel.* t. 2. l. 2. d. 18. n. 15. *Bass.* t. 1. v. *Charitas* n. 21. *Castrop.* t. 6. d. 1. p. 9. n. 10., ubi dant exempla, præsertim *extremæ necessitatis spiritualis.*

Q. 45.

176 Q. 45. An quis possit aliquando vitam aut bonum suum postponere vitæ aut bono alterius privati. R. §. 1. Si hic homo privatus sit in certo & extremo periculo vitæ, licebit tibi adire probabile periculum vitæ tuæ pro illius vita servanda, quia certa mors alterius est majus malum quàm probabile periculum vitæ propriæ: ad hoc tamen non teneris, quia nimis durum videtur obligari hominem ad exponendam vitam suam gravi periculo pro servanda vita alterius privati hominis.

177 §. 2. Si tu sis in æquali periculo cum altero, poteris tibi prius providere quàm illi; nihilominus potest etiam homo permittere mortem suam, ut salvet vitam proximi etiam privati, v. g. potest defendere illum contra latronem, quamvis prævideat se occidendum: Similiter potest in naufragio non arripere tabulam, sed permittere alteri, nam in his non amat Proximum plus quàm se, sed amat bonum heroicæ virtutis plus quàm vitam suam, uti ex *S. Thoma* rectè observant *Ovied. cont. 8. n. 87. & Castrop. t. 6. d. 1. p. 8.*, neque ejusmodi homo vitam sibi directè tollit, sed tantùm non servat ex motivo virtutis. An autem possit, v. g. tabulam jam infessam dare alteri evasuro, si prævideat se certò submergendum, major est difficultas; affirmat *Lorca*, negant alii communiùs cum *Suar. & Ovied. n. 72.*, quia jam in tabula constitutus erat extra periculum, in quod si se directè reingerat, videtur, moraliter loquendo, sibi directè vitam tollere, ut alteri servet, quod illicitum est: putat tamen *Suar.* fore tantùm veniale, quia gravitas hujus peccati non debet desumi à vita propria, sed ab excessu tituli, qui est, ut potiùs conservem vitam meam,

mea
tur et
nialit
ferr
dign
Opp
est co
grav
48.
§.
esse i
quia
tual
am,
pote
strop
ticus
cèt p
quia
quo
pcer
para
Gom
Dica
Gob
etia
Gob
§.
tran
frag
reti
aga
le
quã

meam, quàm alienam, hic autem excessus videtur esse levis, unde sicuti peccarem tantum venialiter, si beneficium quantumvis pingue conferrem digno prætermisso digniore, si excessus dignitatis inter illos esset tantum levis, ita & hic. Oppositum tenet *Ovied.* n. 83., quia titulus, qui est conjunctio major mecum ipso, videtur esse gravis. Videri potest etiam *Lugo* de just. d. 10. n. 48.

§. 3. Si Latro te invadat, quamvis credas te esse in gratia, non teneris permittere te occidi, quia Latro non est in extrema necessitate spirituali, propter quam debeas exponere vitam tuam, sed est in extrema malitia, à qua liberare se potest, si velit, ita *Con. Bonac.* aliique cum *Castrop.* p. 9. n. 7. Quòd si te invadens esset phreneticus, adhuc non teneris permittere te occidi, licet pro tuenda vita tua deberes eum occidere, quia non debes reputare eum esse in peccato, in quo si est, nescis, an sit rediturus ad rationem & pœnitentiam; & re ipsa nimis grave est sic te imparatum trudi in æternitatem: hinc *Bartholus*, *Gomez*, *Mol. Mald. Tann. Bonac. Castrop. Tamb. Dicast. Sangallenses*, quos citat & sequitur *Vindex Gobati* p. 2. prop. 10. n. 4. absolutè docent talem etiam rationis impotem posse occidi. Vide *Vind. Gob.* ad prop. 10. & dicenda l. 3. p. 1. n. 814.

§. 4. An laudabilius sit hominem morientem transferre in alias animas purgatorii omnia suffragia & satisfactiones pro se offerendas, an sibi retinere, fusè in utramque partem discutit *Arriaga* d. 40. f. 2., & concludit esse minùs laudabile, quia est velle Deum potiùs laudari ab alio quàm à se, quod videtur esse hominis minùs a-

K

mantis

mantis Deum : Econtra *Hautinus* in patr: defunct: à n. 627. citans pro se *S. Thomam Suar: & Lug:* fusè contendit, id esse laudabilius, quia per actum illum Charitatis plus meretur gratiæ & consequenter gloriæ sibi & Deo per totam æternitatem. An autem sit obligatio iuvandi defunctos, videri potest *Haut:* à n. 438.

180 §. 5. Probabilius videtur, quòd possim ad tempus velle carere gratiâ Dei vel beatitudine pro impediendo peccato vel damnatione Proximi, uti rectè *Ovied.* n. 15; multò magis etiam potero secundùm ordinatam Charitatem omittere actus bonos, ut sic impediam majora mala proximi; non possum tamen ideo velle peccare etiam levissimè, & ut volunt *Arr. & Ovied.* n. 23, non possum velle in perpetuum carere beatitudine etiam pro totius mundi salute, quamvis hoc absque peccato contingere posset, quia teneor ultimò tendere ad finem meum, quando possum sine peccato; in hoc tamen contradicunt alii cum *Bonæ spei* d. 4. n. 10., docentes eum esse actum excellentissimum Charitatis, & favent exempla quorundam Sanctorum.

181 Q. 46. Quid debeat facere sacerdos, si simul vocetur ad baptizandum infantem, & ad absolvendum adultum, quorum alter certò morietur absque Sacramento, si postponatur alteri. R. Si adest Laicus, qui baptizare possit, debet eum mittere ad infantem baptizandum, & ipse ire ad absolvendum adultum: si autem nemo adest, qui baptizare possit, debet infantem præferre adulto, infans enim certò periret, non item adultus, qui fortè non est in peccato mortali, vel per contritionem se juvare potest: hoc autem est

arri-

arripiendum, quod minùs habet de periculo, uti docet *S. Thom.* 3. p. q. 83. a. 6. Ita cum *Gob. Steph.* t. 3. d. 3. d. 1.

Circa ordinem Charitatis aliqua addentur l. 3. p. 1. à n. 719. & 731.

D V B I V M II.

De odio, & dilectione inimicorum.

Certum est, inimicos aliquo modo diligendos, cum sint proximi, cum *S. Tho.* 2. 2. q. 25. a. 1. communiter omnes. Sed quæritur de modo, & an possint odio haberi.

Resp. I. Quilibet homo, saltem privatus, tenetur proximo, etiam inimico, communia dilectionis signa & beneficia exhibere ex præcepto; specialia verò ex consilio tantùm, nisi aliunde ratio obligationis accedat. Ita communiter cum *Laym.* l. 2. r. 3. cap. 4. ex *S. Thom.* l. c. q. 25. a. 8. & 9. Dixi 1. communia: qualia secundùm *Cajet.* V. odium, sunt, quæ Christiano debentur à quovis Christiano in communi, concivi à concive, cognato à cognato. Ratio autem est, quia ista negare, est vindicare injuriam, quod non licet privato. Dixi 2. nisi aliunde accedat ratio obligationis, qualis esset v. g. 1. Timor scandali ex omissione. 2. Spes salutis inimici, ut vid. *Azor* p. 2. lib. 12. cap. 3. 3. Necessitas temporalis vel spiritalis. 4. Culpæ deprecatio, & exhibitio specialium signorum amoris. Ratio, quia his casibus, neglectus specialium signorum esset exterior odii declaratio. *Laym.* l. c. Unde resolves Casus sequentes;

K 2

I. Per

» I. Per se loquendo , nemo tenetur ad ini-
 »micum diligendum positivo & peculiari actu ,
 »neque ad eum salutandum , alloquendum , æ-
 »grotum invisendum , mœstum consolandum ,
 »hospitio excipiendum , vel familiariter cum eo
 »agendum , &c. quia hæc sunt signa specialia a-
 »moris. *Fill. t. 28. p. 1. cap. 1.* Dico per se , quia si o-
 »missio scandalosa esset , aut per aliquid horum
 »posses sine tuo incommodo , inimicum tibi &
 »Deo reconciliare , id omittere , esset grave : uti
 »etiam , si inæqualis persona soleret alium salu-
 »tando prævenire , v. g. subditus Prælatum. *Lay.*
 »l. c.

» II. Non licet inimicum excludere à commu-
 »nibus orationibus , v. g. oratione Dominica , &
 »quæ pro communitate instituitur ; nec à com-
 »munibus eleemosynis , resalutatione , responsi-
 »one , expositarum mercium venditione , quia
 »hæc sunt communia dilectionis signa ; ideoque
 »contra hæc facere , v. g. cognatos omnes invita-
 »re , obvios omnes ex vicinia vel collegio ex con-
 »suetudine salutare , solo inimico excluso , est ex
 »genere suo , & regulariter mortale. *S. Tho. Nav.*
 »*Laym. ll. cc.* Addo 1. ex genere suo , quia si levitas
 »materiæ , aut causa rationalis excuset , v. g. si pa-
 »ter vel superior , filio vel subdito , ob correctio-
 »nem ea subtrahat ad tempus , leve vel nullum e-
 »rit , quia habet jus puniendi. Addo 2. regulariter
 »quia si persona multò major inferiorem non
 »resalutet , v. g. nobilis rusticum , pater filium ,
 »non videtur mortale , ut notat *Sa v. Charitas.*
 »*Bon. 10. 2. d. 3. q. 4. p. 3. v. Azor q. 5.*

» III. Etsi quis teneatur inimico veniam le-
 »gitimè petenti , non tantùm interiùs remittere ,
 » sed

sed e
 neg
 n. 28
 eò q
 hum
 facti
 nec e
 pote
 utro
Nav
 fit v
 læso
 ea ,
 poss
 rest,
 con
 R
 secu
 lenc
 li m
 tam
 hon
 nam
 am
 disp
 tes C
 I
 mal
 care
 quò
 ne r
 pro
 cet
 4. p

sed etiam externa remissionis signa ostendere, negat tamen *Trull. l. 5. c. 5. d. 5. ex Azor. & Fill. n. 25.* teneri statim postquam offensio est illata: eò quòd sit res violenta, & supra fragilitatem humanam. Non tenetur autem remittere satisfactionem pro damno, si ab eo sit læsus, imò nec eam acceptare, si offerat, sed etiam juridicè potest compensationem petere, dummodo in utroque casu deponatur odium, ut docet *Val. Nav. c. 14. n. 25. Lay. c. 4.* Quòd si tamen pœna sit valde gravis, v. g. capitis, mutilationis, neque læso ex ea commodum proveniat, non videtur ea, deprecante altero, sine peccato vindictæ posse expeti. Similiter, si satisfaciat quantum potest, ad id, quod non potest, eum urgere, videtur contra charitatem, ut docet *Syl. & Fill. q. 9.*

Resp. II. Etsi odium inimicitiae sive personæ secundum se, & bonorum quæ in se habet, volendo scilicet illi malum, ut sic, sive quatenus illi malum est, ex genere suo fit mortale; odium tamen abominationis, sive qualitatis, quo non hominem, sed ejus malitiam, vel saltem personam tantum quatenus malam, vel nobis noxiam, averfamur, sæpe licitum est, ut docet *Kon. disp. 29. dub. 3. & comm. Unde resolvuntur sequentes Casus:*

I. In confessione satis esse, si dicas te grave malum voluisse proximo, nec opus esse explicare speciem mali, v. g. mortem, infamiam, &c., quòd omnia comprehendantur sub una ratione mali, *Caj. Bon. Tur. Trull. l. 1. c. 6.* docent probabiliter: sed contrarium probabilius docet *Suar. hic d. 6. S. 2. n. 2. & 3. to. 2. Pal. tr. 2. d. 4. p. 1. n. 6.*

K 3

II. Licet

II. Licet proximo velle malum aliquod, v. g.
 temporale, (dummodo non fit iusto gravius)
 quatenus id illi bonum est, v. g. morbum, vel ad-
 versitatem, ut à peccatis emendetur. *Bon. to. 2.*
dub. 3. qu. 4. p. ult. §. 1. ex multis. Cavendum ta-
 men est, ne fiat ex vindicta, ex qua, si Psalmum
 108. super inimicum tuum legas, peccas mor-
 taliter. Generatim verò, ob bonum spirituale
 proprium vel alienum, licet mala pœnæ, ineffi-
 caci affectu, aliis velle, quia cum in hoc affectu
 bonum spirituale præferatur temporali, non
 est inordinatus, v. *Less. l. 2. cap. 47.*
 Sic licet, v. g. mortem optare hæresiarchæ vel
 publicæ pacis turbatori, ob bonum commune
 & multorum; juxta illud *Galat. 5. Utinam abscin-
 dantur.* Item tristari de eo, quòd dignitates con-
 ferantur indignis: vel de sanitate ejus, qui ex
 illa sumit occasionem peccandi. Item mortem,
 egestatem, aut morbum alicujus desiderare, ut
 cesset à peccatis, & vitam in melius mutet. Ea-
 dem ex causa *Bon. Azor & Palauz t. 6. d. 4. p. 1.*
num. 11. excusant à peccato matrem, quæ mor-
 tem filiarum exoptat, eò quòd ob deformita-
 tem vel inopiam commodè & honestè nupti-
 tradere non possit. Etsi verò sibi ipsi optare
 mortem, *Navar. & cæteri* dicant esse mortale, ad
 evitanda tamen gravia mala, v. g. afflictionem
 internam, id licere volunt *Sanch. Sot. Gran. 2. 2. t.*
6. disp. 2. sect. 4. n. 20. Dian. p. 5. t. 14. R. 92. Ita &
Trull. l. 1. d. 2. n. 11. excusat fœminam, quæ sibi
 (vel alteri) mortem optat ad vitandam gravem
 infirmitatem, mendicitatem, vitam acerbam,
 &c. vel alia similia mala à marito v. g. inflicta,
 vel infligenda. Mulierculas tamen ob minimas

mo-

mole
 damn
 ctus a

III.
 si id fa
 vet, a
 inimi
 ptand
 formi
 averfi
 le non
 absit c
 pedita

Q.
 de mor

§.
 fitio,
 peccat
 te nar
 desiden
 aliquo
 ne cer
 micit
 aut ill
 quis c
 desid
 proxi
 rosè c
 le, in
 tio: c
 ve, &
 lumr

molestias mortem optantes *Dian. l. c. mortalis* damnat, nisi (ut plerumque fit) excuset defectus advertentiæ & deliberationis. 16

III. Privatus, qui averfus ab alio fugit illum, si id faciat, ut eum suo colloquio & solatio privet, atque ita contristet & malè illi sit, est odium inimicitia, & peccatum: si verò nihil mali optando, tantùm fugias, quia tuæ naturæ est difformis, vel tibi solet esse molestus, est odium averfionis, & peccatum, si sit irrationabile: quale non erit, si sit persona valde aspera: modò absit contemptus, scandalum, & vindictæ cupiditas. v. *Bon. loc. cit.* 22

A D D E N D A.

Q. 47. An licitum sit tristari de vita aut gaudere de morte alterius. R. Intelligetur ex seqq. 183

§. 1. Ab *Innoc. XI* damnata est hæc 13: propositio, si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alterius tristari & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum. Ex qua damnatione certum est, nunquam esse licitum ex odio, inimicitia vel vindicta gaudere de morte proximi aut illam desiderare: Deinde etiam certum est, si quis ob leve aliquod emolumentum temporale desideret directè, etiam inefficaciter, mortem proximi, aut de illa immediatè gaudeat sive morosè delectetur in illa, hoc esse peccatum mortale, in hoc enim sensu damnatur relata propositio: & ratio est, quia cum sit emolumentum leve, & quidem possit esse tale aliquid, quod solummodo speratur, nec adhuc possessum est,

Vide etiam Tq. et 151am.

imò ad quod nè quidem habeatur aliquod jus ,
 irrationabile esset velle mortem proximo, ut ta-
 le quid obtineatur , hinc justè damnata est illa
 propositio , sine restrictione dicens , licitum esse
 desiderare mortem alicui propter aliquod tem-
 porale emolumentum , sicuti enim nemo potest
 sibi mortem optare , ut liberetur aliquo levi in-
 commodo , v. g. tussi , modico dolore capitis ,
 ita non potest optare alteri ob aliquod leve com-
 modum suum.

184 §. 2. Licitum est desiderare vel gaudere de
 morte proximi propter magnum bonum spiri-
 tuale ipsiusmet proximi ; sic Pater potest deside-
 rare mortem Filii nunc in gratia constituti , qui
 aliter certò prævidetur futurus improbus : Ra-
 tio est , quia bonum spirituale justè præfertur
 temporali , ergo licitè ipsi favet mortem ita uti-
 lem , potiùs quàm vitam ita noxiam , ita *Carden.*
 in 2. crisi. d. 10. n. 7.

185 §. 3. Licitum est desiderare vel gaudere de
 morte proximi ob ingens bonum etiam tempo-
 rale communitatis & Ecclesiæ , quod aliàs habe-
 ri non possset ; sic licitè opto mortem Turcæ po-
 tiùs , quàm ut Ecclesiam vel Imperium Roma-
 num vincat ; & ratio est eadem , quia bonum
 commune justè præfertur privato , id autem cen-
 setur bonum commune , quod est communita-
 tis , in qua sum , ita *Carden.* n. 8.

186 §. 4. Manet probabilis sententia , quam post
S. Thomam 2. 2. q. 76. a. 1. tenent Auctores gra-
 vissimi , quos citant & sequuntur *Mendo* d. 4.
 q. 1. & 4. *Arsdek.* t. 2. p. 2. de prob: Opin.
 q. 4. *Carden.* n. 9. & 21. *Moya* t. 1. t. 6.
 d. 6. q. 5. , nempe quòd homo possit desiderare
 mor-

mortem proximo ad vitandum aliquod ingens malum sibi vel alteri proximo impendens, quod aliter vitari non potest, v. g. ne injustè occidatur ab illo, ne per illius injuriam spoliatur bonis suis, quod alioquin futurum est: sicuti aliquis sibi ipsi licitè optat mortem, ut evadat ingens malum spirituale vel temporale, v. g. si aliter non possit vitare peccatum vel perpetuum & durum carcerem, Ratio est, quia imprimis tum non optat propter aliquod emolumentum, quod acquiri deberet, sed propter damnum in re sua actu possessa, quod subire non tenetur, cum rem suam vel alterius amici tenere ac defendere possit, etiamsi proximus injustè volens tollere occidi deberet, dummodo sit res magni momenti, uti dicitur ad 5: præceptum Decalogi. Deinde illud gaudium vel desiderium directè & immediatè fertur in solum bonum suum vel proximi, ita ut mors, quatenus proximo est mala, nullo modo sit objectum illorum actuum, atque ideo *S. Thomas* in 3. dist. 30. q. 1. a. 1. ad 4. sic habet, *prosperitas unius inducit adversitatem alterius, unde quia Charitas ordinem habet, & plus debet quisque diligere se quàm alium, & propinquos quàm extraneos, & amicos quàm inimicos, & bonum commune multorum quàm bonum privatum unius, potest aliquis salvâ Charitate optare malum temporale alicui & gaudere si contingit, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere. Addit S. Doctor, sed hoc non est per se de malo gaudere, sed de bono, quod adjunctum est malo. Fatendum tamen, quòd facilè se possit hìc insinuare odium vel vindicta.*

287 §. 5. Licitum est gaudere de suo emolumento per mortem proximi causato, v. g. hæres licitè gaudet se accepisse bona per mortem alicujus, tale enim gaudium non terminatur ad mortem proximi, sed præsuppositâ morte versatur circa hæreditatem, de qua licitè gaudet. Ob eandem rationem etiam licitum est desiderare emolumentum suum, quod obveniet per mortem alterius, potest enim desiderium terminari ad tale emolumentum, absque eo quòd feratur in mortem proximi, quia desiderat, si fuerit, vel quando erit mortuus: foret autem illicitum, si affectus ferretur in ipsam mortem proximi tanquam in medium pro obtinendo illo emolumento, unde cum in hos similesque actus gaudii vel desiderii facilè se insinuet malus affectus, expedit in praxi eos non admittere ob periculum peccandi. Vide *Vind. Gob.* p. 2. ad prop. 8. & 9.

288 Q. 48. *An aliquando sit obligatio petendi veniam vel se insinuandi apud offensum.* R. §. 1. Tum est gravis obligatio ad petendam veniam vel querendam reconciliationem, quando alterum graviter offendisti, nec superest aliud medium reconciliandi, quia sicuti tenebaris non ponere offensam, ita teneris eam tollere.

289 §. 2. Non est obligatio petendi veniam, 1. si injuria non fuerit gravis, aut si alter intulerit graviolem. 2. Quando aliter satisfieri potest læso, v. g. per pecunias, per alia signa honoris vel amicitia, per intercessionem aliorum. 3. Quando injuriæ mutua se compensant. 4. Quando læsus petitionem veniæ non curat, vel censetur remittere. 5. Si læsus per illam magis exacerbaretur. 6. Quando apud aliquos, v. g. nobiles,

biles viros, illa in usu non est, sed aliter fieri solet reconciliatio. 7. Quando offendens est longè superior offenso, nisi fortè enormitas injuriæ urgeret, ut etiam à subdito veniam peteret. 8. Quando prudenter præsumitur alterum non acquieturum nec corresponsum, si tu pro tua parte veniam peteres & satisfacere velles. 9. Quando alter exigit insuetam humiliationem, nam ad extraordinariam & ita arduam non teneris ante sententiam Judicis, ita *Castrop. d. 1. p. 6. Tamb. in Dec. l. 5. c. 1. §. 3.*

§. 3. Qui priùs offendit, etiam priùs contra- 190
xit obligationem satisfaciendi, ideoque, per se loquendo, & cæteris paribus, ipse tenetur priùs veniam petere aut dare signa reconciliationis, ita *Nav. Bonac. & Con.* Si tamen prior offendens levem injuriam intulit & posterior graviolem, vel si prior est longè nobilior, posterior autem inferior, prior poterit suspendere satisfactionem, usque dum posterior etiam debitam præstet, ita cum *Bonac. Con. Regin. Castrop. n. 13.* Addit *Tamb. n. 27.*, si omnibus consideratis non sit major ratio, cur unus potiùs quàm alter debeat esse prior in venia petenda, tunc utrumque teneri pro data occasione incipere, nisi consuetudo esset, ut unus deberet prævenire, sic enim moris est, ut ille, qui transit vel accedit, priùs salutet illum, qui stat.

§. 4. Qui fugit, ne occurrat inimico, quem 191
à longè videt, si inimicus advertat id fieri propter se & graviter sentiat, est mortale contra Charitatem, si autem non advertat, vel non multùm curet, non erit mortale, *Spor. in mor. t. 2. c. 6. n. 28.*, addens n. 29. tum tantùm peccari

morta-

mortaliter non salutando, quando ex circumstantiis colligitur omitti ex odio, inimicitia vel vindicta; quod si tantum fit ostensio justis doloris vel fastus aliquis aut aliud simile, non videtur fore mortale, uti innuit *Tamb. n. 16.*, & docet *Spor. n. 32.* Res tamen periculosa est, quia facile subest spiritus odii vel vindictæ.

192 §. 5. Si allocutio vel ostensio benevolentiae non sit debita, & tamen prævideas ex illa futurum, ut inimicus odium deponat, teneris alloqui, si sine multa animi difficultate possis: si autem notabilem difficultatem patereris, non teneris, quia bonum speciale proximi, quale tunc est depositio odii, tenemur quidem ex Charitate curare cum aliquo, non tamen cum magno incommodo, *Suar. Con. Castrop. Tamb. Burgh. cent. 2. cas. 66.*

193 §. 6. Ad declarandum magis præceptum diligendi inimicos, infert *Petr. March. t. 2. t. 2. t. 4. f. 2. q. 1. §. 4.* quicumque non impedit injustum damnum grave sui inimici, quando absque aliquo alicujus momenti detrimento impedire potest, peccat mortaliter, quia reipsa ostendit se odium habere, quod mortale est, ubi materia est gravis.

DUBIUM III.

De Præcepto Eleemosynæ seu misericordiae corporalis.

194 » Suppono I. Hujus præcepti obligationem naturali ex duplici capite, I. Ex necessitate proximi »egentis. 2. Ex persona possidentis bona, vel »ecessaria; vel superflua.

Sup-

Suppono II. Triplicem dari necessitatem^{195.}
 proximi, 1. Dicitur extrema, ex qua egenti im-
 minet periculum vitæ, vel etiam gravis & diu-
 turni morbi, secundum *Dian. p. 5. t. 8. R. 1. 2.*
 Gravis, ex qua imminet periculum gravis mali,
 ut captivitatis, infamiae, gravis jacturae bono-
 rum, vel status; unde fiat, ut difficulter se possit
 sustentare: v. g. si non possit vivere secundum
 suum statum, vel si nobilis cogatur alteri famu-
 lari; vel artifex, aut vir honestus, mendicare. 3.
 Dicitur communis, quâ laborant mendici tri-
 viales. *Lay. lib. 3. tr. 2. cap. 6.*

Suppono III. Bona necessaria, & superflua¹⁹⁹
 dici, vel respectu vitæ sive naturæ, vel respectu
 status, vel decentis conditionis personæ: quo-
 modo seculares rarò putant se habere super-
 flua, ut docet *Lay. & Nav. man. c. 24.* Nam quæ
 sunt necessaria, ad alendos liberos, famulos, ho-
 nestas donationes, convivias, hospitum tractati-
 onem (qualia tamen non sunt quæ ad quem-
 cunque fastum & pompam quisque sibi requi-
 rit) spectatis etiam communibus eventibus, hæ-
 redibus, necessitate futurâ, &c. non sunt super-
 flua.

Resp. I. Nemo tenetur dare eleemosynam
 ex bonis sibi ad vitam necessariis, nisi esset per-
 sona talis, ex qua penderet salus Reip. *Est com-
 munis.* Et ratio patet ex ordine charitatis.

Resp. II. Probabile est, ex superfluis naturæ^{200.}
 & statui, teneri aliquem, etiam in gravi necessi-
 tate, succurrere proximo, si probabiliter putet
 alium non subventurum: idque ut *Azor to. 2. p.*
2. lib. 12. cap. 7. Sylv. & Fumus volunt, sub mor-
 tali, contra *Medinam*, qui vult esse tantum con-
 fili.

filii,

filii. Ratio, quia cum in Scriptura frequenter
damnentur homines ob neglecta opera miseri-
cordiæ, hæc non sunt restringenda ad extre-
mam & raram necessitatem. *v. Laym. l. c.*

201.

Resp. III. Proximo in extrema necessitate
teneris succurrere ordinariè, ex bonis etiam ali-
quo modo ad statum necessariis. *Suar. Lay. ex*

207.

communi. Satisfacis tamen probabiliter, si des-
cum onere restituendi, quando erit ditior. *Vasq.*
&c. contra Suar. Kon. &c. v. Dian. p. 5. t. 8. R. 5.

Addo, *ordinariè*, quia si majus damnum æsti-
maretur, te excidere tuo statu, quàm mors
pauperis, non tenereris, *Azor l. c.*

Resp. IV. Probabile est, quòd proximo in gra-
vi necessitate constituto quisque teneatur sub-
venire, cum modico detrimento proprii statûs:
quia parvo suo incommodo tenetur magnum
incommodum proximi impedire. *Lay. l. c. ex D.*
Thom. Bon. to. 2. d. 3. q. 4. p. 6. Ex dictis collige:

I. Homines privati non tenentur inquirere
pauperes, *Vasq. &c.* si tamen dubitent de extre-
ma alicujus indigentia, tenentur inquirere ve-
ritatem. *Sanch. Dian. p. 5. t. 6. Ref. 39.*

II. Nemo tenetur magnam vim pecuniæ da-
re pauperi, ad pretiosissimam medicinam e-
mendam, vitæ servandæ necessariam, vel ad
redimendum à periculo mortis. *Sa & Kon.*
disp. 27. d. 8. n. 135. Et ratio patet ex dictis.

III. Si proximus tantùm egeat usu rei, satis
est illam accommodare, v. g. si ab hostibus spo-
liato vestem commodes, vel vulnerato equum,
donec domum revertatur. *Laym. Bon. l. c.*

Resp. V. In communibus pauperum necessi-
tatibus tenetur aliquando dare eleemosynam,
qui

qui habet bona naturæ & statui superflua. Ita²²
 communiter; *D. Tho. Suar. hic disp. 7. sect. 3. n. 7.*²²
*Bellar. contra Navar. & Vasq. qui negant teneri.*²²
 Ratio est, tum quia quisque tenetur diligere²²
 proximum sicut seipsum: tum, quia alioqui²²
 pauperes isti inciderent in necessitatem gra-²²
 vem. Videtur tamen hæc obligatio tantum esse²²
 sub veniali, ut rectè *Medina*: idque si nulla sit²²
 justa causa negandi; aliàs sub nullo. *v. Laym. Bon.*²²
*l. c. Unde resolvuntur Casus sequentes:*²²

I. Pauperibus trivialibus, etsi ex nuditate,²²
 morbo, &c. videantur ostendere signa extremæ²²
 necessitatis, rarò quis tenetur ex præcepto sub-²²
 venire, etiam de superfluis, tum quia ferè ad²²
 movendos spectatores ista necessitas exaggera-²²
 tur, tum quia ab aliis juvandi præsumuntur.²²
*Mald. Wiggers, in 2. 2. q. 32. a. 8. n. 32. Dia. p. 5.*²²
*t. 8. R. 17.*²²

II. Si quis dives & abundans diu neget o-²²
 mnes eleemosynas, cum proposito dandi me-²²
 liore & commodiore loco ac tempore, vel egen-²²
 tioribus, vel in alium pium usum convertendi,²²
 is non peccat, cum habeat justam causam ne-²²
 gandi: si verò talis, sine rationabili causa, omnes²²
 à se pauperes inhumaniter repelleret, eum dicit²²
*Laym. l. c. versari in malo statu.*²²

III. Nulli omnino quantumvis diviti, omnes²²
 pauperes sine eleemosyna repellenti, facilè ne-²²
 ganda est absolutio; cum ob dubium & dissen-²²
 sum DD. de hac obligatione: tum quia vix repe-²²
 ritur, qui causam saltem apparentem non præ-²²
 tendat, si superflua se habere fateatur. *Lay. ibid.*²²

IV. Etsi dicta de eleemosyna danda, intelli-²²
 gantur respectu omnium egentium, etiam pec-²²
 cato-

202

catorum, infidelium, & inimicorum, damnandi
tamen non sunt Magistratus, excludentes à suis
civitatibus, justa de causa, pauperes peregrinos.
Lay. ib. Trul. l. 1. c. 5. d. 10.

V. Religiosis æquè ac aliis pauperibus debentur eleëmofynæ, quia eorum paupertas & necessitas est vera & justa, tametsi voluntariè contracta, cùm voluntas & causa fuerit rationalis & grata Deo. *Lorca, Dian. R. 18.* Aliud est de iis, qui sponte suâ culpabiliter sunt pauperes, ut vagabundi. *ibid. R. 19.*

Resp. VI. Eleëmofyna tantùm facienda est ex bonis propriis, & quorum quis liberam habet administrationem: Potest tamen fieri ex alienis, quando proximus est in extrema (vel etiam secundùm *Less. l. 2. c. 12. dub. 12. n. 71. d. 13. n. 80. & d. 14. n. 84.* in valde gravi) necessitate, & aliunde succurri non potest, tunc enim omnia sunt communia. In communi verò necessitate, licet tantùm cum consensu Domini, tacito vel expresso. *v. S. Th. 2. 2. q. 32. a. 7. Reg. l. 4. n. 286. Fill. Laym. Bonac. l. c. n. 11. Less. l. c. Vnde resolves.*

I. Non licet dare Eleëmofynam ex bonis obnoxiiis restitutioni, v. g. furto ablati, licet tamen ex acquisitis per opus illicitum, sed non cum injustitia, v. g. ex lucro meretricum. Ratio, quia hæc sunt propria; priora non. *Bon. lb.*

II. Pueris, filiis-familias, servis, ancillis, uxoribus non licet dare eleëmofynam nisi tenuem, in qua parentum, dominorum, & maritorum voluntas præsumitur. Partiales verò casus, in quibus uxor dare potest, *v. suo loco, Præcepto 4. c. 2. d. 4. & 5. Bon. to. 2. d. 3. q. 4. p. 6. Dia. R. 25.* ubi ex

Hurt.

Hurt. notat, si pater nullas det eleëmofynas, posse pro eo dare filium.

III. Tutores & Curatores, & qui habent curam bonorum alienorum, possunt facere modicas eleëmofynas ex bonis, quæ administrant, quales nimirum ipsi facere deberent, quorum sunt. *Vasq. Azor l.c.c. 10. q. 5. Kon. Dian. R. 35.*

A D D E N D A.

Q. 49. *Quenam necessitas corporalis dicatur extrema, gravis vel communis.* R. Ad illa, quæ habet *Busenb.* in supp. 2., adde seqq.

§. 1. Tum etiam est necessitas extrema, si sit periculum mortis intra tres menses alioquin incurrendæ, uti ait *Ledesm.*, aut secundum *Cajet.*, si sit periculum mortis, quamvis tempus longè distet, & non appareat alia via illi periculo occurrendi: debet autem esse aliqua moralis certitudo, vel saltem, uti volunt *Vasq. Valenc. Nav. Disast. de Just. l. 2. t. 2. d. 9. n. 211. Mayat. 6. d. 6. q. 4. n. 1. Carden. in 1. crisi d. 80. n. 13.*, prudens ac probabilis timor, si non subveniatur, incurrendi mortem, irrationabile enim foret expectari, usque dum quis incidat in periculum proximum mortis; unde *Carden. n. 74.* ait, si probabiliter peribit egenus deficiente hoc levamine, ea necessitas est evidenter extrema. Ad necessitatem extremam reducunt *S. Thom.* aliique cum *Carden. n. 5. & in 2. crisi d. 9. n. 8. & 17.* necessitatem urgentem, quam alii vocant quasi extremam, estque tum, quando adest periculum proximum incidendi in gravissimam calamitatem, sive in malum morti æquivalens; quodnam autem censeatur æquivalere, non potest certâ regulâ
L derer-

determinari, sed spectandæ sunt circumstantiæ, maximè personarum; *Dicast. Castrop.* d. 2. p. 2. n. 1. & *Tamb.* suprâ f. 1. dicunt sufficere mutilationem membri principalis, amissionem sensûs, v. g. oculorum, perpetuum carcerem, infirmitatem perpetuam vel amentiam: addit *Bann.*, si homini pro ratione sui statûs gravissimum esset dedecus mendicare, afferens illi impossibilitatem moralem, eò quòd præligeret mortem: *Lorc. Arr. & Leander à S. Sacram.*, si alicui ratione similis statûs foret ignominia & impossibilitas exercendi artem mechanicam, aut famulandi: item si ob paupertatem esset periculum labendi in peccatum mortale, uti habet *Villal.*, v. g. in filia, quam Parens ob inopiam vellet prostituere: item si quis ob inopiam vellet se occidere, lapsus in tristitiam non voluntariam: imò *Caj. Maj. Villal. Trul. Az. Fill. & Leander* dicunt eos quoque esse in extrema necessitate, qui sunt Catholici apud Turcas captivi, eò quòd sæpe vita aut fides eorum periclitetur, sed id negat *Hurt.*, & ex parte *Carden.*, alioquin, inquit, divites omnes damnarentur non statim mittentes ea, quæ supersunt statui, ad eos redimendos. Denique dicemus l. 3. p. 2. n. 1146. gravem necessitatem Reip: communiter æquivalere necessitati extremæ particularium.

196 §. 2. Necessitas gravis universaliter dicitur, quando quis ex defectu rerum necessariorum est in periculo incidendi in miseriam magnam, quæ reddat vitam notabiliter molestam, uti esset illi, qui è statu comodo delapsus cogeretur victitare solo pane & oleribus; qui ita esset nudus, ut vel illi inde esset ignominia magna, vel præ
fri-

frigore impenderet periculum gravis morbi; cui spectatâ valetudinē & viribus esset nimis molestum semper super pavimento aut tabula dormire; qui duram subit captivitatem, qui diuturno tempore detinetur in carcere nimis molesto.

§. 3. Necessitas communis est, quando est aliquod incommodum in necessariis ad vitam & statum, ita tamen, ut non reddat vitam nimis miseram vel molestam juxta statum patientis; & in tali necessitate sunt plerique pauperes ostentim mendicantes. 197

Q. 50. Quid ad propositionem hęc damnatam sit addendum. R. Propositio 12. ab Innoc. XI. damnata sic habet, *Vix in secularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluis statui.* Circa hanc damnationem notanda sunt seqq; 198

§. 1. Dubium est, quid dicatur superfluum statui: *Cajet. Nav. & Vasq.* putârunt hoc solum esse superfluum, quod non requiritur ad statum, neque præsentem servandum neque futurum obtinendum, quem quis licitè & dignè potest quærere: sed hæc sententia rejicienda est, alioquin vix unquam ulli homini esset superfluum ad statum, quia quisque licitè potest quærere meliorem statum, & eo etiam plerumque dignus esset, hinc vix unquam homo obligaretur ad ullam eleemosynam etiam in gravi necessitate proximi, uti advertit *Carden.* in 2. crisi. d. 9. n. 19; quod hęc videtur damnari. Alii dicunt illud esse superfluum, quod necessarium non est ad statum neque præsentem neque futurum, quem

aliquis probabiliter & proximè sperat ; & hæc sententia probabilis est : Alii plures cum *Arsdek.* de prob: Opin. q. 6. dicunt hoc esse superfluum ; quod ad statum præsentem satis commodè ducendum non est necessarium, nullâ statûs futuri habitâ ratione. In his duabus ultimis acceptionibus patet multos esse, saltem tempore pacis, quibus sunt superflua, multæ enim sunt familiæ non potentes prudenter spem habere brevî altiùs emergendi, & quæ de facto plûs habent, quàm necesse sit ad statum illum servandum, & hos dicimus habere superflua, ac teneri ad eleemosynas, ex quo patet falsitas propositionis damnatæ : Ad hæc confirmanda facit auctoritas *S. Aug.* de 10: chordis c. 12. Tom. 9. magna excusatio! filiis meis servo : videamus ; servat tibi pater tuus, serva tu filiis tuis, filii tui filiis suis, & sic per omnes, & nullus facturus est præcepta Dei &c: palliare se volunt nomine pietatis & dealbare, ut quasi propter filios videantur servare homines, quod propter avaritiam servant.

200 §. 2. Plures docuerunt, quòd extra necessitatem extremam non fit, vel tantùm sub veniali fit obligatio dandi eleemosynam ex superfluis, uti refert *Moya* t. 6. d. 6. q. 4. §. 4., sed *S. Thom.* aliique communiter rectè contradicunt, ideoque etiam *Suar.* dicit horum opinionem esse practicè improbabilem nec securam in conscientia, probatque fusè *Carden.* in 1. crisi d. 20. à n. 9. Divites sub mortali obligari subvenire pauperi graviter indigenti, saltem ex illis, quæ statui sunt superflua.

201 §. 3. Si privatus extremè periclitetur de vita ob causam extrinsecam justam, v. g. quia morti
justè

justè adjudicatus est, nihil teneris pro ejus vitæ conservanda expendere, quia ob bonum Reipublicæ talis mors infertur, & ipsemet non obligatur se liberare, ergo nec alii: Si autem fit in extrema necessitate ob aliam causam, v. g. ratione morbi, teneris etiam aliqua statui tuo convenientia expendere, ut ei succurras, ita *Con. & Tamb. in Dec. l. 5. c. 1. §. 1. n. 9.* contra aliquos apud *Moyam §. 5.*, qui dixerunt non esse obligationem etiam in extrema necessitate dandi ex necessariis ad statum, quam sententiam vocat *Bannez inhumanam, Valent. Granad. & Hurt:* improbabilem: Manet tamen dubium, an teneris, si per hoc è statu tuo caderes, nam te in his circumstantiis non teneri, docent Auctores gravissimi, quorum sententiam *Moya* sequitur, vocans probabilissimam, sicuti enim non teneris pro vita tua conservanda subire conditionem durissimam, ita multò minùs pro aliena, durissimum autem est omnino dejici de suo statu. *Nec obstat*, quòd vita proximi sit nobilior quàm bona tua temporalia, nam si argumentum illud valet, teneberis pro vita proximi permittere tibi abscindi brachium, quod nemo dicet: hinc *Castrop. d. 2. p. 2. n. 6. & Tamb. n. 10.* absolutè dicunt, te non teneri expendere ea, quibus expensis notabiliter à statu tuo caderes, uti si ex nobili fieres opifex, ex opifice mendicus, quia nec sic tenereris vitam tuam conservare, talia enim damna subire æquiparatur morti. Addunt *Con. Castrop. & Tamb.* neminem obligari pro vita alterius expendere magnam summam, v. g. ter mille aureos, et-

iam si non ideo excideret ex suo statu, tum quia Charitas jubet succurrere mediis ordinariis & communibus tantum, non autem extraordinariis, tum etiam, quia illæ expensæ in morali æstimatione & quò ad utilitatem Reipublicæ pretiosiores sunt quàm vita hominis privati. Vide dicenda l. 3. p. 1. n. 953. Probabiliter tamen putat *Tamb.* n. 11. Patrem teneri pro filio, vel filium pro Patre gravem & extraordinariam summam expendere, non ex necessariis, sed ex superfluis, aut etiam ex convenientibus suo statui, inter hos enim est major conjunctio, unde & videtur esse strictior obligatio, quia tamen ex illa sententia sequeretur, quòd aliquis etiam pro vita sua teneretur tantumdem expendere, v. g. in medicinam extraordinariam, hinc putat *Tamb.* oppositam sententiam etiam esse probabilem, nempe quòd nunquam sit obligatio ita extraordinario modo sibi vel alteri succurrendi.

302 §. 4. *Macarius Havermans* in *Epist. Apol. c. 4. n. 91.* sic accusat *Busenb.* in hac materia: *Alias laxitates circa illud præceptum in particulari referre non est necesse, cum omnes sufficienter includantur in enormi illa doctrina, quam tradit Herm: Busenb: in suo libello vulgo noto. Ut accusationi respondeatur, tantum legendus est Busenbaum, qui solum dicit non facile negandam absolutionem alicui diviti, qui communibus pauperibus negat eleemosynas, in quo nihil est dignum reprehensione: Et quamvis Societatis Auctores communiter doceant divites teneri in communi necessitate dare eleemosynas ex superfluis, uti*
osten-

ostendit *Pollenter* super propositiones ab *Innoc. XI.* damnatas à n. 402., hanc tamen obligationem negant alij Viri gravissimi, *Sylv. Alens. Arm. Palud. Gabr. S. Anton. Sor. Nav.* uterque. *Molf. Fernand. Victor. J. Medin. Covar.*, quos refert & sequitur *Diana* p. 2. t. 15. R. 32. & t. 16. R. 26., pluribus firmans eam sententiam p. 5. t. 8. R. 17. *Mald. Doctor Lovaniensis* 2. 2. q. 32. a. 6. d. 4. ait, *probabilius est, in communi necessitate pauperum non teneri divitem sub mortali ulli in particulari determinate aut etiam in confuso alicui dare eleemosynam.* *Molanus* etiam *Lovaniensis Doctor in Th. pract. t. 2. c. 5. n. 46.* dixit, se non aufurum condemnare: Unde malè hic doctrina *Busenb.* dicitur enormis, uti & *Laym.*, quem ob eandem causam culpat *Sinnichius*, sed rectè defendit *Guilielmus le Maire* in *Stat. f. 1. c. 10. §. 3.*, neuter enim dicit absolutè dandam absolutionem tali, sed volunt attendi, an fortè pœnitens non habeat causam negandi tales eleemosynas, aut excusationem non afferat justam, & an profit ei absolutionem negare.

§. 5. *Cajet.* alijque cum *Gonet* in *disc. de prob.* 203
n. 152. docent solam superfluitatem esse sufficientem radicem & quasi rationem formalem, unde oriatur obligatio dandi eleemosynam, indeque inferunt, quoties dives habet superflua ad statum, hoc ipso statim sub mortali teneri ad dandam etiam in communibus necessitatibus eleemosynam. Hæc sententia communiter rejicitur ab aliis, quos citat & sequitur *Carden.* in 2. crisi. d. 9. n. 13., quia si illa obligatio præcisè oritur ex superfluitate, ergo etiam necessitate

omni proximi cessante manebit obligatio, quia manebit superfluitas, hoc autem nemo dicet, quia ubi non est necessitas, non potest esse eleemosyna: Unde manet probabilis opinio communis, inquit *Carden.*: n. 15, quòd dives non teneatur sub mortali ad danda superflua statui, nisi fit gravis necessitas.

204 *Q. 51. An etiam peccet contra justitiam, qui pauperi extreme indigenti non dat eleemosynam. R.*
De hoc sunt tres sententiæ:

Prima, quæ est communior, absolutè negat: hanc tenent AA triginta & plures apud *Carden.*: in 1. crisi d: 20. n. 76., qui in divite agnoscunt tantùm obligationem ex Charitate, dicuntque bona tunc fieri communia, non quoad dominium sed quò ad usum: Ratio potest esse, quia tum fit eleemosyna, ubi autem est eleemosyna, non est justitia: Deinde aliàs sequeretur, quòd dives negans illa, postea teneretur ad restitutionem, & ad damna secuta compensanda:

205 *Secunda*, absolutè affirmat: hanc tenet *Pet. Hurt.*: citans alios sex & sequitur *Carden.*: Rationem dant, quia ex mente *SS. Patrum*, quos refert *Carden.*: Deus bona dedit divitibus sub eo onere, ut in necessitate dispensent egenis, ergo ex hoc contractu innominato, *do, ut des vel do, ut facias*, tenentur divites ea bona sic elargiri indigentibus, ergo tenentur ex justitia: Deinde non dare sic egenti est homicidium, uti asserunt *SS. Patres*, omne autem homicidium est contra Justitiam, ergo. Ad rationes oppositas dicunt, titulum Charitatis esse compossibilem
cum

cum titulo justitiæ, sicuti si debeam centum, & incidas in paupertatem, solvens centum satisfacio titulo Charitatis & Justitiæ: nec ideo debetur restitutio, si transierit necessitas, quia debitum erat tantum pro circumstantiis necessitatis, & quasi conditionale, ergo desinente necessitate desinit; admittit tamen *Hurt.*, si negans elemosynam præviderit damna, obligari compensare.

Tertia distinguit cum *Lugo* de Justi. d. 16. n. 206
142. & 153. & *Tamb.* in Dec. l. 8. t. 2. c. 6. §. 2. n. 5. & 6., hi dicunt in extremè indigo esse verum jus justitiæ ad ea bona arripienda, quamvis in possidente non sit obligatio justitiæ ad ea danda, sicuti ante divisionem bonorum quisque habebat jus ea sibi acquirendi, quamvis nullus teneretur ea tradere, nam sicuti si res aliqua sit communis, Petrus ante illius occupationem non habet jus Justitiæ, quo alii obligentur eam ipsi tradere, ita etiam extremè pauper non habet jus justitiæ impediens alios, ne eâ re utantur, vel cogens eos ad eam offerendam, sed tantum habet titulum, ut eam occupatione possit facere suam; Quod autem jus accipiendi in uno & obligatio succurrendi in altero non necessariò ex eadem virtute procedant, probat *Tamb.* à pari, nam qui vovit elemosynam tibi dare, tenetur ex Religione eam dare, tu tamen non habes jus nec Religionis nec Justitiæ eam arripiendi: Addit *Tamb.* n. 8. obligationem Divitis, ut non impediatur pauperem ab occupatione rei, esse ex Justitia, quia cum omnia sint communia pro ista necessitate, pauper habet jus, ut non impediatur saltem in usu, hinc infert *Tamb.* n. 9., si dives

non offerat extremè indigenti , non obligari ad
damna secuta , si fortè hic fame moriatur , &
Uxor cum prolibus destituatur alimentis , quia
non offerendo peccavit tantùm contra charita-
tem ; si autem vi impediatur eum à sumendo , vel si
cibum à paupere jam occupatum vi recipiat , te-
nebitur ad damna , quia peccavit contra Justi-
tiam.

207 *Q. 52. An sit obligatio gratis dandi extremè indi-
genti. R.* Si alibi habet aut alio tempore habebit
bona, v. g. per hæreditatem vel laborem pro-
prium, docent *S. Thom. Suar. Valen.* alique com-
muniter cum *Dicast. de Just: l. 2. t. 2. d. 9. n. 228.*
non teneri dare gratis , licèt enim sit pauper re ,
tamen non est pauper spe ; sed si supponamus
esse pauperem re & spe, id est, neque nunc ha-
bere nec probabiliter posthac habiturum ali-
quid , adhuc docent *Hadri. Covarr. Vasq. Less.*
Lug. de Just: d. 16. à n. 167. satis esse , si det mu-
tuò, sub conditione, si fortè ad meliorem for-
tem redeat , quam sententiam *Dicast:* vocat prob-
abilem ; & ratio est , quia sic succurritur neces-
sitati : è contrà *S. Thom. Fill: Con. & alii cum Burg:*
cent. 1. cas: 89: probabiliùs dicunt teneri dare
gratis ; quam sententiam *Val:* dicit esse tam cer-
tam , quàm certum est dari præceptum eleemo-
synæ , hinc *Bann:* oppositam sententiam appel-
lat falsissimam , sed omissis censuris probatur
sententia nostra, nam tum urget præceptum ele-
mosynæ , quæ non est sine donatione ; deinde
quia sic simpliciter non levaretur necessitas pau-
peris , sed una mutaretur in aliam. Videri potest
Dicast: suprà.

Quo

Quo ordine fit subveniendum in extrema vel communi necessitate sanguine junctorum, dicitur l. 3. p. 1. à n. 719 & 731.

DUBIUM IV.

De misericordia spirituali, seu præcepto correptionis fraternæ.

Correptio fraternæ, est admonitio, quâ quis proximum conatur revocare à peccato: De qua certum est, præceptam esse jure tum naturali, quo membra unius corporis se mutuò juvare tenentur; tum divino positivo: *Matth. 18. Si peccaverit in te frater tuus, corripe ipsum. Bec. 2. 2. c. 21. Laym. c. 7. Fill. Bon. p. 7.* Quæritur autem, quæ sit ejus materia, quos & quomodo obliget. 208

Resp. I. Omne mortale peccatum proximi per se est sufficiens materia, ut hoc præceptum obliget sub mortali. *Ita communiter.* Et ratio est, quia cum vitam spirituales proximi tollat, sufficientem necessitatem correptionis inducit. Dixi 1. *omne mortale*: quia etsi etiam veniale sit materia correptionis, non tamen graviter obligans; nec nisi facillimè possis. Dixi 2. *per se*: quia si quis ob timorem, verecundiam, pusillanimitatem, putet se non ita strictè obligatum, vel minùs esse idoneum ad corripiendum, videtur tantùm peccare venialiter. *Vid. S. Thom. 2. 2. q. 23. a. 2. & cæteros supra cit.*

Resp. II. Præceptum hoc obligat concurrentibus his circumstantiis: 1. Si certò tibi constet de peccato proximi: indagare enim tenetur so-

lus

209. »lus Superior. 2. Si probabile fit non emendasse,
 »nec emendaturum, vel relapsurum; quia elec-
 »mosyna egenti tantum danda est. 3. Si alius æ-
 »què idoneus non adsit, qui correpturus pute-
 210. »tur. 4. Si fit spes fructus; quia desperato fine ces-
 »sant media. 5. Si fit bona occasio, locus, & tem-
 »pus opportunum, possisque sine tuo gravi da-
 220. »mno facere: Quod si horum aliquid desit, præ-
 »ceptum non obligat. Unde patet, ejus omissio-
 »nem in privatis vel nullam esse, vel levem cul-
 »pam, v. *Bon. l. c.*

» Resp. III. Et si hoc præceptum obliget omnes,
 »etiam subditos; magis tamen Prælatos. Ratio
 »prioris est, quia omnes sunt commembra, te-
 »nenturque sibi externa officia Charitatis præ-
 »stare. Ratio posterioris est, quia subditi tantum
 »ex Charitate, Prælati verò etiam ex officio, &
 »justitia tenentur: Unde peccare possunt etiam
 »graviter, veniales culpas non impediendo, si
 »vigor disciplinæ per hoc minuatur. Eademque
 »ferè est ratio de patrefamilias, præsertim erga
 »liberos. *Lay. l. c. num. 5. Palaus tr. 6. disp. 3. punct.*
 »8. num. 8. *Trul. l. 1. c. 5. d. 13. § 15. § ceteri.*

» Resp. IV. Ordo in correptione servandus est,
 »quem Christus præscripsit, *Matth. 18.* scilicet,
 »1. ut corripias in secreto; deinde coram testi-
 »bus, tum ad Prælatum Ecclesiæ five Superio-
 »rem, deferas. Excipe tamen, 1. Nisi præstet Su-
 »periori, viro probo & prudenti, quàm aliis te-
 »stibus innotescere, prout cautum est in *Regula*
 »*S. Aug.* 2. Nisi peccatum sit publicum: tunc e-
 »nim potest publicè corripiri. 3. Nisi vergat in gra-
 »ve damnum tertii aut communitatis, si Supe-
 »riori non statim innotescat, v. g. si quis prodi-
 tionem

tionem moliatur, hæresin occultè spargat, tunc enim immediatè Superiori indicandum, quia commune bonum præferendum est privato. *Fill. tr. 28. p. 1. c. 7. n. 149. & 155. 4.* Quando corripendus est contentus, ut Superiori statim significetur: ut est apud quosdam religiosos, qui quoad hoc juri suo renuntiarunt. *v. Suar. hic disp. 8. sect. 5. n. 12. & 17. Bec. Laym. Sanch. l. 6. mor. c. 18. Fill. l. c. Ex dictis resolvitur:*

I. Qui facilè potest impedire peccatum mortale proximi, & ob mali temporalis timorem negligit, peccat mortaliter. Ita *Lay. Suar. disp. 7. de correct. sect. 3. n. 5. v. Palaump. 6. n. 1. & 2.*

II. Si certò constet fratrem perfectè emendasse peccatum occultum, nec ex eo esse ullum periculum relapsûs, vel damni, ipsi aut alteri, non licet (etiam in Societate IESU) denunciare Patri, vel Prælato, nisi frater expressè in istam denuntiationem consentiat. *San. 2. mor. l. 6. cap. 18. n. 49. & 60. Palausp. 12. Fill. n. 157. Trul. l. 1. c. 5. d. 14. n. 15. Suar. to. 4. de relig. ca. 10. n. 11. & 12. Hurta d. 163. Sect. 2. & 5. subs. 28. & denique C. Lugo Resp. mor. l. 4. d. 46. Ubi tamen notat, in Soc. IESU casum esse rarissimum. Ratio autem est, quia cessat motivum charitatis, atque adeo ratio denunciandi: ideoque est peccatum, & quidem ut C. Lugo l. c. not. ex Suar. mortale ex genere suo. *v. inf. l. 4. c. 3. d. 5. & Dia. p. 4. t. 4. R. 71.**

III. Si Superior immediatus se solo possit delinquentem emendare, ita ut nullum periculum damni vel relapsûs, ipsi vel alteri, vel communitati immineat, videtur peccare manifestando

stando

stando Superiori mediato delictum. *Palaut. l. c.*
Trull. d. 16. n. 1.

IV. Prælati & Magistratus tenentur aliquando inquirere in subditorum peccata, ut corripiantur, non tamen multum & curiosè de aliquo in particulari rogare debent, nisi is speciale ejus signum dederit: neque facilè admittere accusatores spontaneos, quia illi specie boni communis sæpe se quærunt. *Hurta, &c. Dian. p. 7. t. 3. R. 10. & 11.*

V. Episcopi, Prælati Religiosorum, Pastores animarum, tenentur etiam cum suo incommodo, imò aliquando cum vitæ periculo, adhibere diligentiam, quam possunt, ut peccata publica & occulta impediant, quia cum Christo pacti sunt curam & sollicitudinem gregis, pro qua multa ab eo bona accipiunt. *Hurt. to. 2. d. 162. sect. 7. §. 60. (apud Dia. R. 28.)* aitque hanc esse omnium Patrum & Theologorum doctrinam, quam Christus verbo & exemplo docuerit, additque idem esse de Magistratibus & Concionatoribus. Licet verò hi non teneantur ad id ex justitia, (sicut Prælati & Magistratus) tenentur tamen peccata publica corripere: (sed non facilè Prælatorum & Religiosorum, quorum auctoritas ad bonum commune est necessaria) etiamsi non sit spes emendationis. *Kon. disp. 28. du. 5. Hurt. Dia. R. 13.*

VI. Correptio adhibenda est, non semper statim, sed dum major fructus speratur: Hinc interdum permitti potest reiteratio peccati, ut ferventiùs resipiscat, *Dian. R. 29. & 30. ex Regin. Fill. n. 139. Trul. n. 8.* Neque sufficit semel esse factam correptionem, sed debet iterum

ite-

iterumque fieri, quamdiu speratur fructus. *Di-*
vi. R. 32.

A D D E N D A.

Q. 53. An aliquis teneatur corrigere proximum, 209
qui mortaliter peccavit, si non sit periculum, ut relaba-
tur. R. Affirmant Bann. Valenr. Bonac. & alii, quia
existens in mortali est in maxima miseria, ergo si
commodè possum, teneor sublevare, & per cor-
reptionem movere ad pœnitentiam: Negant Re-
gin. Sot. Lorc. Sa, Con. Torr. & alii cum Castrop. d. 3.
p. 2., partim quia proximus non censetur esse in
gravi necessitate surgendi ab illa miseria, nisi vel
prævideretur moriturus in peccato, vel inde su-
meret occasionem iterum peccandi; partim quia
ipse potest ad tempus differre pœnitentiam, er-
go non tenetur meam correctionem admittere,
ergo nec ego ad eam obligor. Utraque sententia
est probabilis, sed prima videtur conformior
præcepto Charitatis: si tamen probabiliter judi-
cem proximum vel alterius ope vel suâ sponte
quæ citò pœnitentiam facturum, non teneor
corripere, quia jam rescio eum correptione meâ
non indigere, uti rectè cum aliis Castrop. p. 6.

Q. 54. An spes fructus debeat esse certa, vel suffici- 210
at esse probabilem, ut quis teneatur corripere delin-
quentem. R. Cajet. putat debere esse certam, sed
dicendum est cum S. Thom. Castrop. p. 5 & aliis
sufficere esse probabilem, alioquin vix unquam
esset obligatio corripiendi, nam vix unquam
spes est certa, cum emendatio pendeat à libera
voluntate peccantis, quæ potest perseverare in
malo: si tamen probabiliter putes te nihil effe-
cturum per tuam correptionem, communis
senten-

sententia est te non teneri corripere, quia prudenter judicas correptionem tuam fore inutilem, nemo autem tenetur ad actionem inutilem: Quòd si dubites, an correptio tua sit nocitura vel profutura, ferè omnes conveniunt omittendam esse, si timor sit nocimenti gravis, v. g. novi peccati mortalis vel novæ obstinationis: Excipiunt tamen *Suar. Bonac. Con.* & alii casum illum, in quo peccator foret in extremis, dicunt enim tunc esse adhibendam correctionem, quamvis æquale dubium esset de fructu ac nocimento, nam dubium nocimenti compensatur per spem fructûs, qui potest esse maximus; & si tum negligatur, reparari amplius non potest.

211 *Q. 55.* An ergo semper sit obligatio gravis corrip-
endi proximum, si aliàs putetur in peccato moriturus.
Bz. Bann. Valent. Bonac. & alii communius affir-
mant esse talem obligationem, etiam cum peri-
culo vitæ propriæ, quia salus æterna proximi est
præferenda vitæ propriæ temporali, uti constat
ex dubio primo: Tamen *Lorc.* aliique cum *Ca-
strop.* p. 6. dicunt, cum periculo vitæ propriæ non
esse talem obligationem, nisi quis foret Superior
proximi, quia proximus tunc non est in extrema
necessitate, cum possit se ipsum juvare, si velit,
dolendo de peccatis. *Nec obstat*, quòd quivis et-
iam cum periculo vitæ teneatur baptizare pue-
rum aliàs sine baptismo moriturum, nam hoc
dato, disparitas hîc est, quia per baptismum est
certa spes, non per correptionem; baptizandus
nequit se juvare, potest hic proximus; bap-
tizandus non perit ex malitia personali, hic pec-
cans sic perit: Hæc sententia est probabilis, quam-
vis prior sit magis pia.

Q. 56.

Q. 56. Si verba non juvent, an debeat vel possit 212
proximus aliter corrigi. R. Si sit subditus, potest & debet à Superiore corrigi, etiam pœnis aliisque modis coactivis: si autem non sit subditus, etiam licitum erit ipsi aliquam vim amicam adhibere, v. g. occultare gladium, subducere pecuniam aliaque peccandi instrumenta, uti docent *S. Antoninus, Nav. Mol. Lug. de Just. d. 2. n. 33.* non videtur tamen licitum absolutam vim inferre, v. g. ligare vel includere, quia hæc est excessiva usurpatio jurisdictionis: Excipe, nisi adesset causa proportionata, uti si cogitaret inferre grave malum Reipublicæ, Superioribus vel familiæ, tum enim liceret, & quandoque, sed rarò, esset obligatio sic impediendi, ita *Lug. n. 34.*

Q. 57. An aliquando sit etiam gravis obligatio 213
corripiendi solos defectus Subditorum. R. De hoc videri potest *Lug. de Just. d. 9. à n. 21.*, hoc enim concernit plerumque solos Superiores Religiosos.

Q. 58. An sit obligatio corripiendi eum, qui ex 214
ignorantia peccat. R. Si ignorantia sit vincibilis, utique est obligatio, nam ignorantia illa non excusat à peccato: si autem ignorantia sit invincibilis, *Bonac. in Dec. d. 3. q. 4. p. 7. n. 11.* absolute docet non esse obligationem, sive sit ignorantia juris sive facti, quia tantum tenemur corrigere peccatum proximi, proximus autem tum non peccat: Excipit tamen ipse cum aliis omnibus, nisi ex officio alicui incumbat monere & instruere, v. g. quia est Pastor, Confessarius: Item, nisi inde oriretur damnum tertii, vel ignorantis ipsius, aut scandalum, aut irreverentia in Deum vel Religionem. Alii Authores distinguunt, si

M

enim

enim quis peccet ex ignorantia juris naturalis, omnes communiter docent te teneri corripere, quia licet proximus non peccet, actio tamen ejus est in se mala & indecens ac displicens Deo, ita *Ovi: 1. 2. t. 5. cont. 2. n. 30.*, qui ait idem communiter doceri etiam, quando quis peccaret ex ignorantia juris divini: E contra, si peccet ex ignorantia juris humani, docet *Op: cum Bann. Nav. Val. & aliis non esse obligationem corripendi*, tum quia proximus non est in gravi miseria, tum quia nihil facit intrinsecè malum, consequenter secundùm hos Auctores non teneberis admovere eum, qui ignorans die Veneris comedit carnes, aut Vesperis it cubitum oblitus orare horas; sed his omnibus probabilius contradicunt *Con: Sanch. Castrop. & alii cum Burg. cent. 3. cas. 69.* dicentes esse obligationem corripendi peccantem ex quacunque ignorantia, tum quia sic exigit reverentia legis, contra quam est illa actio vel omissio, tum etiam quia materialis transgressio legis, si non corrigatur, facile fit formalis, aut habitum pravum inducit: discretionem tamen utendum est, nam imprudenter agit, qui inculpabiliter errantem in re nulli prorsus noxia corrigit cum non levi ejus rubore vel aliorum incommodo, & ita, inquit *Gob. in Exp. t. 3. n. 343.* male fecit ille, qui sacerdotem oblitum stolæ, de hoc defectu eum in Sacrificio ad aram monuit.

215 *Q. 59. An & quando sit obligatio denuntiandi vel deferendi aliquem. R. §. 1.* Est obligatio gravis sub pœna excommunicationis hæreticos denuntiandi apud Inquisitores Fidei, uti constat ex variis Bullis Pontificum & decretis Juris canonici apud *Castrop. t. 4. d. 3. p. 4. n. 21.*, quam obligationem

&

& pœnas innovat *Alex. VII* octavâ Julii 1660 per Bullam, *Licet aliàs*, in qua præterea gravissimè præcipit, ut omnes Religiosi, etiam leviter tantum suspecti de hæresi, statim nullâ factâ correptione fraternâ, nec re communicatâ cum Superioribus Ordinum, deferantur ad Inquisitores à Papa constitutos : & ne aliquis prætenderet ignorantiam illius decreti, mandavit illud in omnibus Collegiis & Monasteriis publico loco suspendi, ac singulis annis primâ die Martii omnibus prælegi super mensam vel in Capitulo: Et cum postea aliqui Authores dicerent, quamvis aliquis sciret alium esse hæreticum, non teneri tamen denunciare, si probare non posset esse talem, idem *Alexander* 24 Septembris 1665. inter 45: propositiones etiam damnavit hanc 5: *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis* : Ex qua damnatione certum est, ubi Bullæ illæ usu receptæ sunt, esse absolutè obligationem denuntiandi secundùm verba Bullarum & declarationes Pontificis. *Dixi*, ubi usu receptæ sunt, nam plures Viri prudentes & eximiè docti censent in his partibus non esse usu receptas, quò ad punctum denuntiationis, tum quia nimis multi hinc sunt hæretici, tum quia sunt satis noti, tum maximè quia vix potest sperari inde fructus, cum in plerisque locis Germaniæ sit libertas Religionis; nec tales possint coerceri vel cogi per Ecclesiasticam potestatem; Denique Papa & Inquisitores sciunt Germanos ommittere illas denuntiationes, & tamen non urgent, ergo censentur obligationem remittere: si tamen sciretur, quòd Episcopus, Parochus, Professor Theologiæ, Confessa-

rius aliusque similis esset hæreticus, & se externè tantùm fingeret Catholicum, cùm talis multùm possit præjudicare bono Ecclesiæ & animarum, esset gravis obligatio saltem ex jure naturæ talem denuntiandi apud illos, qui malum illud possent impedire.

216 §. 2. Est obligatio Inquisitoribus vel Ordinariis locorum denuntiandi illum Sacerdotem, qui in Confessione, vel occasione & quomodocumque prætextu Confessionis, aut quamvis Confessio secuta non sit, qui in Confessionali aliove loco, ubi Confessiones audiri solent, sollicitat sive fœminam sive masculum ad aliquod peccatum carnis secum vel cum alio perpetrandum, aut si ibidem cum aliquo habuerit illicitos & inhonestos sermones sive tractatus, uti post alios Pontifices severissimè & sub excommunicatione latae Sententiæ statuit *Gregorius XV.* Bulla 34. *Universi Domini gregis*, tom. 3. Bullarii. Et ut mentem Pontificis magis declararet *Alex. VII.*, damnavit has duas propositiones: 6. *Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denuntiandus*: 7. *Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi*: Putant autem iidem Viri docti idem dicendum esse de obligatione hos denuntiandi, quod dictum est de denuntiatione hæreticorum, & testatur *Gobat* in Exp. t. 7. n. 575. & 577. decreta illa in plerisque Episcopatibus Germaniæ non esse usu recepta: additque n. 576 tantùm promulga-

ri Regularibus, hos autem se posse accommodare moribus sæcularium quò ad leges utriusque statui communes, ideoque si sæculares non obligent defectu promulgationis, etiam non obligare Religiosos. De his obligationibus denuntiandi hæreticos & sollicitantes, pro locis, in quibus vigent ea decreta, videri possunt *Dicast.* de Cens. d. 3. d. 43. & seqq: Item *Mendo* in Stat. d. 1. q. 7. & seqq:, ubi de illis fusissimè disputant.

§. 3. Quamvis aliquid habeas sub secreto naturali, nihilominus potes & debes deferre, si hoc sit necesse ad cavendum damnum commune, quia tum non obligat secretum, etiamsi sit juratum, eò quòd sit de re illicita, cum commune bonum debeat prævalere, uti habet *Dicast.* d. 41 & 42, aliique communiter cum *Castrop.* t. 6. d. 3. p. 4. n. 5. 217

§. 4. Licitum est, per se loquendo, deferre crimen occultum Religiosi ad ipsius Superiorem tanquam Patrem, non præmissâ ullâ correptione fraternâ, uti fusè docet *Op:* hic cont. 11. p. 10. contra *Loricam*. Potest tamen & debet meritò præmitti correptio fraternâ, si sit spes prudens, quòd sit habitura effectum, quia sic consulitur famæ, & sufficit fratrem corrigere uno modo sufficiente, licèt non optimo; quomodo autem Superior cum subdito sic delato procedere possit, videri potest apud *Ovied.* p. 11. An licitum sit deferre crimen emendatum, dicitur l. 3. p. 2. n. 1199. 218

§. 5. Non semper est obligatio impediendi damnum innocentis per denuntiationem illius, qui damnum infert, si hic pati deberet æquale damnum, 219

damnum, quia cum etiam hic fit proximus, non est, unde nascatur obligatio hunc ita damnificandi in gratiam alterius, ita *Cordub. Adri: Gabriel, Suar. de Cens. d. 46. f. 3. Pertsch: de restit. pag. 302. Dixi*, non semper, nam est obligatio, si innocens tibi fit valde conjunctus, y. g. si fit Pater vel Filius tuus, aut si redundaret in commune damnum, aut si damnificator ex se debeat damnum illud subire ad liberandum innocentem.

120 *Q. 60. Quale detrimentum, vel cujus emolumentum amissio excuset à correptione fraterna. R. Lug. de Just. d. 20. n. 139* sic fermè discurret; licet correctio fraterna non obliget cum magno detrimento proprio, quando proximus, si velit, potest ipse facile vitare peccatum, hoc tamen intelligendum puto de damno extrinseco, quod ex correctione proveniet corrigenti in iis bonis, quæ aliunde habet vel haberet independenter à peccato ipso per proximum committendo: Unde non excusaris à correctione propter periculum amittendi lucri, quod ex ipso peccato proveniret, v. g. Pater tuus, homo avarus, non vult succurrere extremè egeno, faceret autem, si tu eum admoneres, peccas, si non admoneas, etiam si ita privandus sis magnâ summâ egeno illi dandâ & alioquin tibi obventurâ per hæreditatem: similiter si, ut aliquid accipias per Legatum vel donationem, omittas correctionem debitoris, & finas eum peccare non solvendo, quod peccatum facile posses impedire, monendo ut debitis satisfaceret, peccas si non moneas, & re ipsa censeris velle peccatum, quia taces ex affectu solo lucri, quod tibi non adveniet, nisi mediante peccato,

peccato, adeoque videris desiderare peccatum ipsum; Si tamen crederes proximum ex ignorantia inculpabili excusari à peccato, putat *Lug:* te in his casibus non teneri corripere, quia non est in periculo peccandi, & aliunde non videris teneri cum tanto damno tuo impedire violationem illam materiale[m] Justitiæ, ad quam, ut supponitur, tu nullo modo prorsus concurris. De excusatione propter damnum, videri potest etiam *Dicast. de Cens. d. 3. n. 790 & seqq:* item *Tamb. l. 5. c. 1. §. 3.*

DUBIUM V.

De Scandalo.

ARTICULUS I.

Quid, quotuplex sit & quale peccatum.

Resp. I. Scandalum, dicitur peccatum occa-²²¹
sionatum, & est duplex: Activum & Passi-²²
vum. Activum est, dictum vel factum (quo no-²²
mine etiam ommissio intelligitur) minus rectum,²²
præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis. Ex²²
S. Th. 2. 2. q. 43. art. 1. Sanch. Azor. Lay. l. 2. t. 3. 22
*c. 13. Bon. to. 2. d. 2. q. 4. p. 2. Dixi, minus rectum,*²²
hoc est, quod vel in se malum sit, ut si loquaris²²
turpia coram adolescente, vel mali speciem ha-²²
beat, ut si justa de causa coram aliis eam igno-²²
rantibus, comedas carnes die vetito. ²²

Scandalum Activum aliud est per se tale, aliud per accidens. Per se dicitur, quando directè intenditur alterius ruina; id est, si ideo aliquid fiat, ut aliquis ad peccatum inducatur: v. g. si adulter alienam sollicitet ad adulterium. Per accidens dicitur, quando indirectè, & interpretativè tantùm causatur alterius peccatum; ut si quid facias, quod tibi in mentem venit, aptum natum esse inducere alterum hìc & nunc ad peccatum, & nihilominus facis, ut si coram pusillis pecces, vel die vetito carnes comedas, non dicendo, quòd habeas veniam. Item, si Clericus domi suæ alat mulierem populo suspectam, esto absit omne peccatum, & peccandi periculum. *Vid. Sa. V. Clericus. Laym. Bonac. loc. cit.*

Scandalum Passivum, est ipsa ruina, sive peccatum, in quod labitur proximus ex occasione alterius dicti vel facti. Quod dividitur in Datum seu pusillorum, quod oritur ex activo: & in Acceptum, quod non oritur ex activo, sed ex ipsius sumentis malitia, quale erat odium & invidia Phariseorum in Christum, occasione ejus dictorum vel factorum: unde hoc dicitur Pharisæicum. *Ex his patet,*

I. Ad scandalum activum non requiri, ut de facto passivum ex eo sequatur, sed satis esse, quòd data sit occasio, ex qua naturâ suâ sequi possit, ut si quem inducere velis ad peccatum, qui tamen non consentiat, sicut etiam contrà, Passivum potest dari sine activo. *Laym. ibidem.*

II. Scandalum passivum non esse speciale peccatum, neque addere circumstantiam aggra-

grav
fura

II
ran
bus
cora
mer
tum
ibid.

I
dens
com
tia.
rect
fert
p. l.

I
nem
& fi
in m
bum
iis,
mer

I
teri
Quo
quic
com
na e
cati
tum

I
scan
alte

gravantem, v. g. qui viso alterius furto etiam furatur, non ideo peccat gravius. *Laym. Ibid.*

III. Non semper esse scandalum, si pecces coram aliis, sed tantum, quando attentis omnibus circumstantiis, tam personæ agentis, quam coram quibus fit actus, potest probabiliter timeri, ne per hunc actum trahantur ad peccatum, qui alias peccaturi non essent. *Sanch. Lay. ibid.*

IV. Omne scandalum activum directè intendens ruinam proximi, esse speciale peccatum contra Charitatem, ut habet communis sententia. An verò idem sit, quando intenditur indirectè, controvertunt Scholastici, & parum refert ad praxin. *Sanch. l. 1. mor. c. 6. n. 9. Azor 1. p. l. 4. c. 7. Bonac. l. c. Unde resolves hos Casus:*

I. Mortaliter peccat, qui alteri dat occasionem ruinæ mortalis, nisi indeliberatio excuset, & sic opus indifferens vel veniale, sæpe transit in mortale ratione scandali, v. g. si jocosum verbum proferat Religiosus coram foeminis, vel iis, qui inde occasionem peccati mortalis sumere possunt.

II. Venialiter peccat ratione scandali, qui alteri dat occasionem ruinæ venialis tantum. Quod verum est, etsi directè illam intendat, & quidem per actum mortalem: *Sanch. nu. 11. ex communi contra Suar.* Ratio autem est, quia ruina est parva. Et patet à simili, ut si quis per fornicationem intendat furari rem minimam, furum tantum erit veniale.

III. Scandalizans committit præter peccatum scandali, etiam peccatum ejus speciei, ad quod alterum inducit; ideoque confiteri debet speciem

»ciem peccati mortalis, per quod, & ad quod
 »induxit, cum numero inductorum, vel qui pro-
 »babiliter induci potuerunt. *Sanch. Azor, Lay.*
 »*Bon. l. c. Lugo de pœn. d. 16. f. 4. Dicaſ. de Sacr.*
 »*to. 2. t. 4. art. 114.* Excipit tamen Lugo l. c. si præ-
 »ter intentionem scandalum dederit. *Tamb. de*
 »*exped. conf. l. 2. c. 1. §. 1.* ait, quoad inductos
 »sufficere, si dicas, fui multis occasio pec-
 »candi meo exemplo. v. *infra l. 3. t. 6. c. 1.*
 »*d. 2.*

» IV. Etsi is qui scandalizavit alios, teneatur
 »illis rursus dare bonum exemplum, ut inquit
 »*Sa.*: si quis tamen nudo exemplo suo alios ad
 »furtum induxit, neque alio peculiari modo, v.
 »g. exhortatione, consilio, mandato est coope-
 »ratus, non tenetur ad restitutionem, quia talis
 »inductio est tantum contra charitatem, non ju-
 »stitiam. Idem docet esse *Lessius*, si cum Cajo v. g.
 »potites eâ intentione, ut ipse consumptis pecu-
 »niis furetur, v. *Less. l. 2. c. 9. d. 16. n. 113.*

» V. Non censetur dare scandalum, qui licet
 »publicè peccet, facit id tamen coram iis, qui vel
 »sunt ita viles, vel infames aut improbi, ut nemo
 »moveatur ad peccatum; vel qui sunt ita probi,
 »v. g. si quis fornicetur coram aliis, qui parati sunt
 »idem facere, nec ejus exemplo moventur, vel
 »si coram mansuetis quis contendat, rixetur, vel
 »alium cædat. *Sanch. n. 7.*

» VI. Non ideo factum aliquod est scandalum,
 »quia alius incipit de tali homine malè suspicari
 »aut sentire, quia hic non peccat, si ob suffi-
 »cientia indicia suspicetur: Secus tamen est, si in-
 »cipiat malè sentire de fide Catholica, Clero,
 »Ordine Religioso, vel minùs ad pietatem affici.

Unde

Unde
sunt i
tion

Q
pecca
res su
Stat.
catu
tum
Layn
Quin
min
nica
cificio
rum
dere
vel
qua
à tot
detu
virt
tum
ri,
cùn
virt
pec
pec
ergo
l. 7.
res
n. 1
nus

Unde patet facilius dari scandalum ab iis, qui sunt in magna auctoritate, vel pietatis existimatione, quam ab aliis. *Con. di. 32. num. 33.*

A D D E N D A.

Q. 61. An sit peccatum scandali suadere minus peccatum illi, qui facturus est alioquin majus: R: Plures sunt sententiae: Valent. & Sa apud Mendo in Stat. d. 1. q. 18. videntur absolute dicere esse peccatum scandali, quia minus peccatum est peccatum, ergo illud suadere est intrinsece malum. Laym: Dicast: Arr: Mendo aliique cum Gobat in Quin. t. 5. c. 13. n. 24. distinguunt, & dicunt licere, si minus peccatum includatur in majori, sicuti fornicatio includitur in adulterio, vulneratio in occisione, furtum centenorum in furto millenorum: & in ejusmodi casibus dicunt licitum suadere minus, quia non suadetur, ut fiat peccatum vel pars peccati, sed tantum suadetur, ut aliqua pars peccati omittatur, si homo non possit a toto abduci. Econtra si illud minus, quod suadetur, sit plane diversum, nec formaliter nec virtualiter inclusum in majore, dicunt esse illicitum: sic si homini volenti occidere suadeas furari, non suades, ut omittat partem sui peccati, cum furtum non includatur nec formaliter nec virtualiter in homicidio; neque etiam facis, ut peccatum homicidii fiat minus, sed ut ex toto fiat peccatum aliud plane diversum, nempe furtum, ergo reipsa es auctor hujus furti. Sanch. de Matr. l. 7. d. 11. n. 15. citans alios gravissimos Auctores, Steph: t. 3. d. 3. n. 79. Carden. in 2. crisi d. 23. n. 148. absolute dicunt licitum esse suadere minus, quamvis sit diversum; pro qua sententia alios

alios plures citant *Mend.* q. 18. *Castrop.* t. 6. d. 6. p. 6. *Gob.* n. 25., vocans practicè probabilem, *Dian.* p. 5. t. 7. R. 18. vocans etiam probabilem; & rationes sunt, imprimis quia minus peccatum censetur includi in majori, licet sit diversæ rationis, quia majus habet malitiam minoris, & aliquid ampliùs: deinde quia non suadetur malum absolutè, sed sub conditione, si esset facturus majus; præterea non suadetur ut malum est, sed ut est impeditivum majoris mali: denique suadetur commutatio majoris mali in minus, si-ve electio minus mali præ majori, quæ bona est: consentit *Con.* de act: supern: d. 3. n. 48. *Castrop:* supra his non acquiescit, sed dicit hoc modo esse distinguendum; si ille, qui paratus est facere majus malum, simul cogitet facere minus, tum licebit suadere solum minus, quia hoc tantum est retrahere voluntatem à majori malo: si autem non cogitet facere minus malum, non licebit, quia suadens verè esset causa hujus minoris mali.

223 Omnes hæ sententiæ sunt probabiles, & sententia *Laym:* videtur probabilior, ad quam accedit sententia *Castropalai*: nihilominus sententia *Sanchez* etiam est probabilis.

224 *Q. 62.* An ergo etiam sine periculo scandali sit licitum aliquem inducere ad ebrietatem, ut sic impediatur aliud majus peccatum. R. Secundum *Laym:* & alios hoc est illicitum, quia nunquam licet inducere ad actionem, quæ intrinsecè mala est: è contrà secundum *Sanch.* & alios, & expressè secundum *Less:*, cujus sententiam *Diana*, *Mend.*, *Gob.* & alii censent probabilem, est licitum: fatenturque *Laym.* & *Dicast.* licitum esse tali homini offerre vinum fortissimum, cujus vires ne-
sciat,

sciat,
omit
cusam
nes,
justè
tit, f
cet.

Q
suade
vel pe
deter
vel p
retur
& po
non
Paul
fure
mal
hono
quo
ferè
re c
perf
hæc
ad su
prà
S
qual
deter
Tam
pecc
fure
ab a
mic

sciat, quo absque peccato suo inebrietur, sicque omittat majus peccatum: imò *Less. & Baldel.* excusant eum, qui ad ebrietatem provocaret latrones, à quibus detineretur, vel alios à quibus injustè custodiretur; quod *Gob.* supra n. 30. admittit, si ad materiale tantum ebrietatem provocet. Vide dicenda l. 5. n. 318. & 343.

Q. 63. An sit peccatum scandali vel injustitiæ, 225
suadere alicui, ut potius furetur Petro quàm Paulo, vel potius diviti quàm pauperi. R. §. 1. Si fur esset determinatus ad furandum, vel multum à Petro vel parum à Paulo, sed indeterminatus à quo furetur, docet *Pont. apud Dian.* p. 11. t. 6. R. 58. & post *Vasq. Tamb.* in Dec. l. 5. c. 1. §. 4. n. 11., te non peccare nec teneri restituere, si suadeas, ut Paulo furetur minus, sic impediendo ne Petro furetur majus, quia tantum optas eum è duobus malis eligere minus, & hìc debet potius respici honor & minor offensa Dei, quàm damnum, quod infertur Paulo: sed communis sententia ferè omnium est cum *Sanch.* supra n. 24. non licere consulere minus malum inferendum alteri personæ, in individuo eam determinando, quia hæc habet æquè jus ad suum minus, quàm alia ad suum majus: & consentit cum aliis *Carden.* supra n. 162.

§. 2. Si fur sit determinatus ad furandam æ- 226
 qualem quantitatem à Petro vel Paulo, sed indeterminatus à quo furetur, putant *Lug. Pont. Tamb.* n. 64. alique apud *Dian.* p. 5. t. 7. R. 7. te non peccare, si, cum sis amicus Petri, suadeas, ut potius furetur Paulo, quia amicus potest prospicere, ut ab amico potius avertat malum quàm à non amico: & similiter dicunt, si velit furari pecuniam,

te

te posse suadere, ut potiùs furetur pannum, eo fine, ut Petrus solvat tibi pecuniam debitam: sed probabiliùs quoad primum contradicit Sanchez ob rationem jam datam aliasque apud ipsum.

227 §. 3. Si fur dicat se velle Petro furari centum, nisi tu eum juves ad furandum Paulo quinquaginta, juvare non posses, etiamsi fortè suadere posses, quia suasio tenderet ad evitandum majus peccatum, quod alter alioqui committeret, minus autem peccatum tantùm permitteres, sed in hoc casu auxilium tuum per se tenderet ad ipsum peccatum, quod tibi non licet committere, neque soli neque socio, uti etiam alteri non licet neque soli neque tecum: ita *Vasq. & Tamb. n. 64.* Docent tamen *Tamb. n. 14. & Dian: R. 19:*, te licitè cooperari ad minus furtum eidem personæ inferendum, ut impediās majus, quia sic bene geris rem illius personæ; nec respectu tui est furtum, cùm invita non sit, sed omnino velit à graviore damno liberari per te.

228 §. 4. Si fur sit determinatus ad furandum vel diviti vel pauperi, est peccatum & injustitia determinare illum ad furandum determinatè diviti, uti jam dictum est: si autem fur sit determinatus ad furandum utrique, & non possit nisi alterutrum impediri, licebit suadere, ut furetur diviti & non pauperi, eligendo minus malum præ majori, nam cæteris paribus gravius peccatum est furari pauperi quàm diviti, neque per hoc à suadente fit injuria diviti, quia idem damnum fuisset illatum sine ipsius suafione, ita *Navar. & Sanch. supra.*

229 §. 5. Si fur non determinavit se ad furandum certæ personæ, sed tantùm voluit furari alicui in
com-

communi, *Sanch.* putat licere suadere minus malum, nempe ut diviti alicui furetur, nullum tamen in particulari determinando, nam sic non determinatur voluntas furis ad damnum alicujus, sed tantum avertitur à majori peccato & damno, quod esset, si furaretur pauperi, unde, inquit, *Sanch.* n. 25., si quis bona mea velit rapere, licebit mihi potius suadere, ut aliena rapiat, non nominando ullam personam, sed in genere dicendo esse alios, à quibus rapere possit: *Castrop.* tamen supra n. 12. iterum vult sic distingui, si consultas, ut furetur diviti, peccas, quia es causa peccati; si autem proponas tantum hanc veritatem, dicendo, quod minus peccatum sit furari diviti quam pauperi, non peccas, quia nec suades nec inducis, sed tantum offers materiam minoris mali, quod in tali casu licitum est.

§. 6. Si fur erat determinatus ad furandum tantum pauperi, *Molin. Sanch. & Tamb.* supra adhuc putant licitum esse convertere voluntatem furis, ut potius furetur diviti quam pauperi, non determinando ullum divitem in particulari: quia sic tantum convertitur à majori malo, & permittitur eligere minus: sed *Castrop.* hinc loquitur, uti antè, nam si tantum proponas veritatem illam, quod minus malum sit furari diviti quam pauperi, non peccas: si autem inducas ad furandum alicui diviti, peccas, & teneris restituere, quia licet non inducas ad furandum uni determinatè, tamen omnes simul sumpti habent jus, ut nemo inducat furem ad damnum ipsis inferendum potius quam aliis; habet enim dives æquè jus ad res suas, quam pauper; adeoque fit contra jus etiam illius determinatè divitis, cui postea re ipsa furabitur.

bitur,

bitur, sicuti peccares & tenereris restituere, si induceres furem ad furandum alicui, quamvis nullam in particulari personam ei determinares, à qua furaretur: & hæc sententia videtur probabilior, quæ tamen contra alias afferuntur, solvunt Auctores locis citatis, speciatim *Mol. de Just. t. 2. t. 2. d. 355.* & *Carden. à n. 152.*

231 §. 7. Contra omnes ferme illas sententias obijci solent, 1. Non licet consulere usuram pro vitanda occisione captivi, uti habetur *Cap. super eo, de usuris*, ergo non licet ullo modo consulere minus peccatum, etiam pro vitando majori. *R. N. Conf.*, non sunt faciendæ mala, ut eveniant bona, ideo nemo debet committere usuram pro redimenda alterius vita: si autem aliquis statuisset occidere & usuram committere, licitum esset ipsi suadere solam usuram.

2. Ille suadens etiam indeterminatè furtum, est reipsa moralis causa damni. *R. N. Ass.*, nam est causa melioris fortunæ uni; damnum autem alterius non causat, sed tantum permittit, cum impedire non possit utrumque.

3. Qui exequitur minus malum, peccat, ergo etiam qui consulit. *R. N. Conf.*, qui exequitur, potest & debet utrumque ommittere; qui consulit minus, neutrum vellet, sed vult impedire majus, quod non potest nisi per minus.

4. Non licet petere, quod alter non potest licite facere. *R. Non licet petere absolutè. C.*, sub conditione, si unum è duobus sit faciendum. *N.*

232 Q. 64. *An nunquam sit mortale inducere aliquem ad veniale.* *R. §. 1.* Ordinariè non est mortale, licet quis etiam vi vel fraude inducat, directè intendens hoc spirituale ejus damnum, ita *Sanch. in*

Dec.

Dec. l. 1. c. 6. n. 10. *Arr. de peccatis d. 44. n. 22.*
Lug. de Just. d. 9. n. 18. Haun. t. 2. n. 723. Bo-
naesp. de pecc. d. 8. n. 54. aliique communiter
 contra *Vasq. Con. Platel. p. 2. n. 185. & alios.*
 Probat, quia hoc malum censetur leve, cum sit
 facile reparabile, & venialia omnia regulariter
 vitari non possint; unde inductus etiam non cen-
 setur graviter invitus.

§. 2. Duo opponi solent; 1. Quod veniale in se 233
 fit gravius malum, quam quodvis malum tem-
 porale, ergo si peccet mortaliter, qui vult alteri
 mortem corporis, multo magis qui vult illi ve-
 niale. *R. N. Conf.*, quia nihilominus veniale est
 in genere suo quid leve, ideoque possum mihi
 velle veniale nec ideo pecco mortaliter, licet si
 vellem mihi mortem, quæ minus malum est
 quam veniale, peccarem mortaliter. Quod si ar-
 gumentum illud valeret, non posset dari veniale
 in detractioe, quia fama in genere suo est majus
 bonum quam omnes divitiæ, & consequenter si-
 cuti mortaliter peccat, qui tollit magnas diviti-
 as, ita peccaret mortaliter, qui auferret alteri quem-
 cunque gradum famæ: hinc rectè dicit *Castrop. t.*
6. d. 6. p. 2. debere in quovis genere boni vel mali
 creati dari aliquid, quod simpliciter sit leve; esse
 autem leve inde colligitur, si sit facile amissibile
 vel reparabile: hoc ipsum innuit ipsemet *Platel.*
n. 184., ubi docet gravius peccare eum, qui oc-
 cidit fœminam, quam qui illam inducit ad for-
 nicationem, quia licet peccatum fornicationis
 sit malum superioris ordinis & gravius, quam
 mors corporis, tamen est magis reparabile & ma-
 gis voluntarium fœminæ, quæ absolutè potest
 non consentire.

N

2. Pec-

234 2. Peccato veniali responderet pœna ignis purgatorii ad minimum per horam, sed aliquem conijcere in ignem ad horam est grave, quia est merito graviter contristativum, ergo. R. Aliquem conijcere in ignem ad horam est grave, si quis directè intendat, vel hoc causet proximè & principaliter, Trans., si indirectè tantum & remotè, neque ut causa principalis, N. Peccato veniali responderet pœna purgatorii, in quantum est offensa Dei saltem secundum quid; inducens autem ad veniale non intendit directè ut offensam Dei, uti suppono, ergo nec intendit ut est causativum talis pœnæ: Deinde pœna illa non respondet proximè veniali factò, sed illi factò & non expiato, qualiter expiare erat peccanti facile: denique pœna illa respondet malitiæ peccati venialis, quæ principaliter est à voluntate peccantis; neque tamen inde sequitur quòd ipse peccans ideo peccet graviter, nam illam pœnam sibi vult, non absolute & sine causa, sed ut justè taxatam à Deo, ex suppositione venialis commissi.

235 §. 3. Si quis veniale alterius intenderet ex odio Dei, certum est peccaturum mortaliter, quia in odio Dei non datur parvitas materiæ: sed supposito quòd tantum intendat ex quodam odio proximi, adhuc peccari potest mortaliter in quibusdam casibus, v. g. si quis Religiosum valde perfectioni deditum vi aut dolo induceret ad peccatum veniale deliberatum, ex intentione hujus damni spiritualis, rectè docet Lug. n. 20. fore mortale, quia veniale deliberatum respectu illius censeretur damnū grave spirituale, eò quòd non soleat in illud labi, & nunc per illud dejiciatur de excellenti gradu perfectionis, in quo erat. *Nec obstat quòd homo quantumcumque sanctus*

sanctus peccet tantum venialiter, si velit sibi veniale, ergo etiam tantum venialiter peccabit, qui eum inducit ad veniale. R. N. conf., si homo peccet, peccat volens, è contrà talis homo est graviter invitus ad ejusmodi vim vel dolum: sicuti potest quis sine mortali suas pecunias projicere in flumen, est tamen graviter invitus, se vi aut dolo ad hoc adduci. Occasione inductionis ad veniale hæc subjicit Lugo, capeant ergo, qui juvenes puros & integræ vitæ trahunt dolose ad colloquia vana & impura, quæ licet aliquando mala sint venialiter, hoc tamen ipsum est grave nocumentum, quod illis in eo statu & vitæ puritate inferitur.

Q. 65. Quomodo peccent pingentes vel exponentes imagines obscenas. R. Pingentes vel exponentes imagines planè obscenas peccant mortaliter, uti docent Auctores plurimi cum *Dian.* p. 11. t. 4. R. 32. Ratio est quia talis imago magis movet ad malum, quàm sermo obscenus, & tamen certum est per sermonem obscenum dari grave scandalum. Infert *Dian.* eos, qui retinent ejusmodi imagines palàm, & saltem non cooperiunt, etiam peccare mortaliter, & est eadem ratio. *Nec obstat*, usus communis, vel quòd ars sic ostendatur, nam usus ille est pessimus abusus; ars autem, quæ ad bonum Reipublicæ esse debet, per hoc perdit finem artis, quia fit perniciosissima, ideoque à numero artium, quo ad illam partem, esset expungenda.

Q. 66. Quid de turpibus comædiis sit dicendum. R. 237
De his videri potest comædio-crisis, sive theatrum *Hieronimi Florentinii*, in quo ostendit originem comædiarum; deinde adducit sententias Patrum contra eas; postmodum judicium Docto-

rum, scholasticorum & moralium ex omni statu ac ordine; denique sic concludit, 1: peccant mortaliter qui componunt vel agunt comœdias notabiliter obscœnas ratione verborum, factorum, gestuum vel nutuum, Ratio est, tum quia non possunt non seipfos exponere periculo saltem probabili peccandi mortaliter; tum quia ponunt actiones excitativas spirituum genitalium & de se inchoativas pollutionis; tum denique quia sunt causa peccatorũ in Spectatoribus & Auditoribus.

238 2. Quamvis nonnulli Auctores eos damnent venialis tantũ, qui eiusmodi comœdiis interfunt, tantũ quærentes delectationem ex repræsentatione & modo agendi, non autem ex re repræsentata, tamen quia vix habebitur delectatio ex repræsentatione, quin se ingerat delectatio ex re, dicendum est eos peccare mortaliter, quia etiam se exponunt probabili periculo peccandi mortaliter. Item censentur velle inchoatam in se pollutionem; & præterea cooperantur peccato Comœdorum.

239 3. Peccant mortaliter, non tantũ primi Spectatores vel Auditores, qui sunt causa determinativa, ut agatur comœdia, sed etiam alii, qui superveniunt, & sine quibus adhuc ageretur, uti contra *Baldel. Turr. Ferrant. Bardi. & Vidal.* docent alii. Ratio est, quia licet demus non esse cooperantes, eò quòd sine illis adhuc poneretur actio, tamen sunt approbantes eam actionem graviter peccaminosam, cum per actum complacentiæ & delectationis tendant simul in illam; imò solvunt agentibus mercedem, favent, applaudunt, & hoc ipso cooperantur, quamvis enim actio poneretur sine illis, tamen adhuc positivè concurrunt, ut ponatur, unde sicuti qui adjungit se aliis decem trahen-

trahentibus lignum dicitur cooperari tractioni, licet illi decem foli sufficienter traxissent, ita & hi, nam etiam propter hos & horum pecuniam agunt Comœdi.

4. Clerici nunc accedentes ad tales comoedias ²⁴⁰ peccant insuper ratione gravis scandali. *Nec referre*, quod multi accedant, per quod nunc à scandalo Clericos excusare volunt *Cajet. Sanch. Barbosa. Bonac. Dian. Baldel.* nam vel ideo gravius peccant, quia quod plures Clerici ibi à Laicis videntur, eò magis Laici confirmantur, ut & ipsi intersint liberiùs sicque incauti vident & audiunt, per quod certò peccant mortaliter.

5. *Baldel.* putat non peccare Magistratus, si ²⁴¹ pro aliquo tempore ad vitandam in populo majorem licentiã Comoedos permittant, talis enim permissio, quæ non fit approbando, sed tantum ex justa causa non puniendo, non videtur illicita: Econtra *Florentinus* contendit malum illud majus, quod evitari deberet, assignari non posse, deberet enim esse majus peccatum, (nam mala pœnæ vel damna temporalia non debent præponderare malo culpæ) jam verò tanta est gravitas & multitudo peccatorum, quæ causatur per has comoedias, partim in componentibus & actoribus, partim in Spectatoribus & Auditoribus, ut quidquid aliud loco harum comoediarum essent acturi, non viderentur ponenda tot tamque gravia peccata.

6. Justè posset & meritò deberet Episcopus ²⁴² edicto suo ac etiam pœnis spiritualibus cogere Comoedos ad non agendas comoedias, nisi priùs à Deputatis recognitas, sic enim fecit *S. Carol. Borr.*, & ratio est, quia laicus propter peccatum populo

ita scandalosum efficitur de foro Episcopi, uti probant *Menoch.* l. 2. de Arbitr. cas. 69. n. 33. alii- que cum *Barbos.* in collect. n. 5. & de Off. Episc. Alleg. 82. n. 17.

A R T I C U L U S II.

An & quando scandalum passivum permitti possit; aut ob illud vitandum, aliquid omitti debeat.

- 243 **R**esp. I. Permitti non potest absque necessitate vel utilitate, propria vel aliena. Ratio est, quia tenemur ex Charitate impedire peccata proximi, si id facile possimus. *Laym.* l. 2. t. 3. c. 13. ex communi. Unde resolvitur hic casus:
- » Absque causa non licet petere mutuum ab usurario, vel ab infideli juramentum per falsos Deos, à concubinario administrationem Sacramenti, vel ut celebret, cum enim absque peccato id non sit factururus, cooperareris ejus peccato. *Suar. Sanch. Trul.* l. 1. c. 6. d. 5. n. 15.
- » Resp. II. Ex causa necessitatis, vel utilitatis, potest permitti. Patet in dicto casu, qui simpliciter sine peccato fieri potest; ideoque licet talia petere ex rationabili causa, etsi alter ex sua malitia sit peccaturus. Requiritur autem major necessitas, ut permittatur scandalum Pusillorum, quàm Pharisaicum. Item major, si plures sint scandalizandi, si timeatur peccatum grave, & denique, si certò prævideatur, quàm aliàs. *Laym.* l. c. *Bon. ro.* 2. d. 2. q. 4. p. 2. & d. 4. q. 1. p. 11.
- » Resp. III. Debet permitti, si alioqui propria salus periclitaretur, vel aliis, præsertim communitati, grave damnum immineret. Unde bona spiritualia necessaria ad salutem nec debet, nec potest quisquam dimittere, ob cujusquam scandalum. *Fill. tr.* 28. cap. 6. n. 136. Resp.

Resp. IV. Bona spiritualia, (& secundum *Lor-*
cam apud *Dian. p. 5. t. 7. R. 24.* etiam temporalia) non
 necessaria ad salutem, non tenetur quis om-
 mittere, vel differre, ob scandalum Pharisaicum,
 juxta illud *Matth. 15. Sinite illos, &c.* nisi tamen ex
 dilatione fructus speraretur. Facilius verò ac sæ-
 pius talia bona differenda, vel etiam omittenda
 sunt ob scandalum pusillorum, v. g. ingressus
 religionis debet differri ob scandalum parentis,
 si consensus illius brevi speretur. *Laym. l. c.*

Resp. V. Ad vitandum grave scandalum pu-
 fillorum, quædam præcepta impleri non de-
 bent, nisi tamen omissio esset magis damnosa
 omitterenti. *r. Lay. l. c.* Ratio hujus est, quia tunc
 concurrente duplici præcepto, scilicet naturali
 de cavendo scandalo, & positivo, majus & for-
 tius est naturale. *Ex dictis resolvuntur Casus:*

I. Prælati Ecclesiastici non tenentur, (imò nec
 possunt) ea, quæ ad bona Ecclesiæ conservanda
 sunt necessaria, v. g. lites, &c. omittere ad vitan-
 da scandala Pharisaica, imò etiam pusillorum;
 etsi his prius reddi debeat ratio rectitudinis.
Dian. p. 5. t. 7. R. 24. ex divo Thoma &c.

II. Si fœmina utatur veste virili, vel contrà,
 tantum ex levitate, sine prava intentione, peri-
 culo scandali, & libidinis, veniale tantum erit,
 aliàs mortale: nullum verò si ex necessitate.
Dian. R. 32. ex D. Thom. Silv. &c.

III. Peccatum, ex quo Confessarium in con-
 fessione (ex infirmitate tamen) graviter scanda-
 lizandum nosti, debes reticere. *Lay. l. c. ex Nav. c. 9. num. 12. &c.*

IV. Uxor semel vel iterum debet omittere je-
 junium, ex quo maritus graviter offendetur, &
 orietur discordia. *Ibid.*

» V. Si ituro te ad sacrum die festo, excitanda
» sit gravis rixa, vel cades, non teneris ire. *Ibid.*

» VI. Superior peccata subditi sæpe potest dis-
» simulare, ad vitandas turbas & majora mala,
» quæ alioqui teneretur punire.

» VII. Mulier, quæ scit in se, vel in sui aspectu a-
» liquem in particulari scandalizandum, morta-
» liter peccat, si datâ operâ ei se conspiciendam
» offerat: adeoque potest & debet, non tantum
» publico, sed etiam sacro abstinere die festo se-
» mel aut iterum, ad peccatum illud evitandum.
» Dixi *aliquem in particulari*, quia ob timorem
» scandali alicujus ex communitate in genere, vel
» etiam plurium, abstinere nimis esset difficile, &
» plenum scrupulis. Dixi, *2. semel aut iterum*, quia
» sæpe, nimis esset grave & durum. *Bon. San. Lay.*
» *l. c. n. 10. & alii. V. Dianam R. 21. & 22.* Ubi in
» contrarium citat aliquot Auctores, negantes
» obligationem prætermittendi rem præceptam,
» ad evitandum aliorum scandalum.

» VIII. Mulier, quæ ex ornatu, etiam conveni-
» ente suo statui, probabiliter prævidet aliquem
» in particulari lapsurum mortaliter, tenetur ad
» breve tempus eum dimittere, aut talis conspe-
» ctum fugere. Dixi, *ad breve tempus*: quia ad lon-
» gum, nimis illi grave foret. *V. Dian. l. c.*

» IX. Si verò idem timeretur in particulari ex
» ornatu superfluo, vano, & inconvenienti (quem
» assumere vanitatis & placendi causâ, ut videan-
» tur pulchræ, & procos facilius inveniant, seclu-
» sis aliis, non nisi veniale est) teneretur eum om-
» nino dimittere etiam sub mortali, quia nullum
» habet jus ad illum ornatum, & ex altera parte
» tenetur vitare peccatum alterius, quando com-
» modè

modè potest. *V. Sylv. V. ornatus.* Alii tamen, ut
Caj. & Nav. c. 14. n. 31. man. videntur docere eam
 tantùm teneri sub veniali, (sed minùs probabi-
 liter, quando in particulari lapsus prævidetur,
 & brevi tempore abstinendum est) qui etiam
 cum *Azor, Less. & Bon.* excusant à mortali eas,
 quæ ex consuetudine loci media ubera dete-
 gunt, fucò, pigmentis, alienis crinibus utun-
 tur, dummodo non aliorum lasciviam, sed tan-
 tùm majorem pulchritudinis ornatum inten-
 dant, absque alio fine mortali, aut lege pecu-
 liari id sub mortali prohibente: Addunt tamen,
 fore grave & mortale peccatum, hujusmodi
 morem detegendi pectus, vel tenuiter tantùm
 tegendi, ubi non est, introducere. *Nav. l. c.*
Less. l. 4. c. 4. dub. 14. n. 112. Lay. l. c. & c. v. Bon.
to. 1. de mat. q. 4. p. 9. num. 1. 25. 26.

X. Si mulier, non in particulari, sed in gene-
 re tantùm, aliquos in se scandalizandos putet,
 modo eorum lasciviam non intendat, nec ex-
 placeat, (licet ei placeat, quòd laudetur ut for-
 mosa) non videtur teneri abstinere ab illo or-
 natu, etiam superfluo, sub mortali, v. g. fucan-
 do faciem, imò etiam denudando ex commu-
 ni consuetudine pectus: nisi tamen denudatio,
 vel ornatus esset valde turpis per se, ac directè
 ad libidinem provocans. Ratio est, tum quia est
 scandalum potius acceptum, quàm datum, &
 ornatus ille ac pulchritudo remotè tantùm ad
 peccatum provocat, ut docet *Lay. & Bon.* tum
 quia nimis grave esset isti sexui, præsertim si ma-
 ritum quærant, perpetuò sic abstinere; cum illa
 occasio sit universalis & perpetua: nec formo-
 siore unquam licitè irent foras, cum pulchri-
 tudo

»tudo naturalis plùs noceat , quàm artificialis.
 »Plura de hac re , vid. *Dian. p. 11. t. 4. misc. Res. 32.*
 »*Bald. to. 1. l. 3. d. 5. n. 15.* Interim foeminam nu-
 »dum pectus gerentem non malâ intentione ,
 »etfi quidam excusent à mortali , ego tamen , in-
 »quit *Sanch.* difficilè absolverem. Et certum est ,
 »quòd Confessario incumbat , hujusmodi orna-
 »tum dissuadere , & deterrere ab eo. *Sa V. ornatus,*
 »*& c. ll. c.*

» XI. Peccant etiam graviter , qui componunt ,
 »describunt , repræsentant , vel pingunt turpia ;
 »& ad libidinem provocantia. *Bon. num. 23.*
 »*Sanch. & Fill.*

» Resp. VI. Potest aliquando permitti proximi
 »ruina , quando is paratus est ad malum , & alter
 »non intendit , ut peccet , sed tantùm non aufe-
 »rendo occasionem , permittit unum peccatum ,
 »ne fiant plura , ita ut permissio sit impeditiva
 »majoris mali. *Unde resolves :*

» I. Hero licet non auferre occasionem fu-
 »randi filiis , aut famulis , cùm eos nihilominus
 »ad furandum propensos & paratos novit , ut sic
 »deprehensi puniantur , & respiscant ; tunc enim
 »rationabiliter permittit furtum unum , ut evi-
 »tentur plura. *Sanch. Lay. Bon. to. 2. d. 2. q. 4. p. 2.*

» II. Probabile est , non licere talia ultro po-
 »nere , aut iis objicere , quia positivè concurreret
 »ad peccatum , & non tam auferret occasionem ,
 »quàm poneret. *Sa V. peccatum & Sanch. l. 10. de*
mat. disp. 12. n. 52. qui ex eadem causa docet ,
 »non licere marito dare uxori ansam adulteran-
 »di ; vel adultero , ut tentet uxorem. Interim
 »probabiliter contrarium docet *Laym. lib. 2. tr.*
 »*3. cap. 13.* Quod confirmari potest exemplo Iu-
 dith ,

dith, quæ vix aliter videtur fecisse, *cap. 9.* cum enim sciret permissionem libidinis in Holoferone, fore impeditivam malorum, posuit ei occasionem, nempe ornatum suum, alioqui licitum, & tamen communiter censetur in hoc non peccasse, *V. Bon. to. 2. d. 2. q. 4. p. 2. Pal. tr. 6. di. 6. pun. 5.*

A D D E N D A.

Q. 67. An sit obligatio omittendi actionem ad evitandum aliorum scandalum. *R. Busenb.* absolutè affirmat, & hoc etiam est tutius atque probabilius: Alii tamen etiam probabiliter putant esse limitandum, quorum sententias referam:

§. 1. Quoad opera præcepta, *Castrop. t. 6. d. 6. p. 16.* aliique apud *Dianam. p. 5. t. 7. R. 21. & 22.* & apud *Pasq. de Sacrif. q. 1347.* universaliter sustinent, quòd ob vitandum præcisè scandalum non sint omittenda ulla opera præcepta: hinc *Tamb. in Dec. l. 4. c. 2. §. 2. n. 8.* docet, quòd puella sciens se ardentè amari à juvene, qui erit in templo, possit quidem die festo abesse à Missa propter Charitatem, non tamen teneatur, quia hoc est scandalum non datum sed acceptum, quod homo non tenetur vitare cum tanto detrimento ommissionis Missæ: consentit *Ill. tr. 3. n. 111.*, dicens nequidem semel teneri emanere.

§. 2. *Castrop.* suprà cum aliis & *Dian. R. 23* docent omitti debere vel ad aliquod tempus differri actionem bonam, quæ est tantùm consilii, uti est ingressus in Religionem, si proximus ex ignorantia vel infirmitate ideo scandalizetur; si autem scandalizetur suâ malitiâ & peccet ex pravo affectu, non ideo erit abstinendum, quia non tene-

teneor alterius malitiæ condescendere cum tali damno meo spirituali.

246 §. 3. Rarò vel nunquam teneris in propriis bonis jacturam gravem facere, ne proximus ob aliquam actionem tuam etiam ex infirmitate inde accipiat occasionem peccandi, ita *Castrop.* p. 17.; Rationem dat *Sanch.* in Dec. l. 1. c. 7. n. 11., quia quando inde oritur grave damnum, est veluti moralis impotentia vitandi talem occasionem, & tum causa est eam permittendi ponendo rem indifferentem.

247 §. 4. Quando aliquid non est per se malum aut specialiter prohibitum, non teneor ab eo abstinere, etiam si alius illo utatur ad malum finem, si ego ob bonum vel indifferentem finem cum rationabili causa id faciam, ita *Less.* in Auçt. v. *Matrimonium* cas. 18., ex quo sequitur quamvis puella sine ulla causa præbens se conspiciendam adolescenti, à quo scit se turpiter amandam, peccet mortaliter, si dedit à operà se offerat, tamen non peccat, si hoc faciat ex necessitate, & saltem non mortaliter, si faciat ex utilitate, aut ne se privet suà libertate vel jure exeundi domo, aut stando ad ostium domus vel fenestram, ita *Cajet. Bonac. Sanch. Dian.* p. 2. t. 15. R. 30.

248 Q. 68. *Quid addendum sit circa denudationem colli & pectoris in mulieribus.* R. De hoc videri potest *Eliz.* in Reg. mor. l. 8. q. 13. §. 9., qui morem illum verbis gravissimis persequitur: præcipua ejus ratio est, quia ejusmodi mulieres quærunt placere & appeti à viris, certæ autem sunt plerosque per hoc habituros complacentias & appetitus pravyos: quod valet non tantùm de liberis, sed maximè de conjugatis, quibus minùs licitum

citum est quærere placere alienis. *Nec abstat*, quòd mulieribus licitum sit ostendere suas facies, quæ tamen sunt pars pulcherrima, nam imprimis ostensio faciei est necessaria & à natura ipsa induta in humanam conversationem, ut homo ab homine dignoscatur; deinde est ordinaria, ideoque minùs movet; & si quandoque ad malum trahat, est culpa defixè aspicientis: è contrà denudationes illæ sunt veluti contra naturam, quæ vult reliquas partes præter faciem & manus tegi, deinde est contra morem communem mulierum honestarum. Verba *Eliz.* sunt hæc. *Homines videntes mulieres, quæ faciem solum ostendunt, credere ex hoc aut apud se dicere non possunt, istæ peculiariter & tanquam fœminæ à nobis amari & appeti volunt, aut ed eunt, ut placeant nobis, sin verò eas videant nudas, credere dicereque possunt, istæ amari & appeti à nobis volunt & placere nobis, hæc autem est maxima motio & tentatio, & per se ad hoc ipsum ordinata, ergo est grave peccatum: & explico, quia si quid hujusmodi etiam remotissimum fœminæ Viris loquerentur, valde tentarent & peccarent, at æquivalenter opere ipso loquuntur..... Hoc est genium & ingenium mulierum, ut avidè cupiant amari & appeti, cum enim sint naturâ valde superbæ, & nihil ipsis relictum sit, in quo superbire possint, non enim plausus doctrinæ, non gloria militaris nec potentia civilis: in hoc gloriam omnem ponunt, ut homines hinc saltem sibi subjiciant, illiciant, & irretiant, & quanquam ad alia transire nolint, amant tamen hanc suam victoriam & triumphum ac superioritatem..... Olim quidem ego existimabam plures mulieres quàm viros salvari ex pari numero, quia nec Magistratus nec præfecturas gerunt, neque alia, propter quæ multi homines pereunt; at postquam istam mulie-*

rum

rum vanitatem & superbiam hominibusque placendi maximum appetitum, & inde captam gloriam consideravi, plurimum dubitare cœpi. . . . Si igitur, ut dicebat Hieronymus, quisquis aliquid ita facit, ut videatur ab hominibus, Scriba est & Phariseus, istæ quid erunt, quarum hoc ferè unum est negotium, ut bene videantur ac placeant, & quantum ipsæ possunt, opere ipso moveant, illiciant, impellant, & sic triumphent. Nec juvat, si se excusent aliæ per alias, dicendo, ista & ista facit: nam hic circulus est vitiosus, omnes enim, quæ faciunt, in hoc malè faciunt.

249 Q. 69. Quid dicendum sit de fœminis, quæ permittunt suū tactus vel oscula. R. Fœmina permittens tactum sui vel osculum turpe ac venereum, peccat mortaliter, si non impediatur quando commodè potest, quia concurrat ad actum mortaliter malum: si tamen publicè id fiat, docent Azor aliique cum Bonac. de matr. q. 4. p. 9. n. 10 non peccaturam graviter, si permittat, quia repellendo ingereret animis adstantium suspicionem peccati & infamaret alterum; sed hæc ratio vix habet locum in praxi, quia potius censetur honestatis & verecundiæ id repudiare; nec ideo, si repellatur aliquis, apud vulgus patitur infamiam: si autem hoc tentetur secretò, omnes tenent fœminam non posse permittere ob rationem datam. Quòd si dubitet, an id ab altero fiat malo animo, Filiiucius & Tambur: in Decal: l. 5. c. 1. §. 4. n. 25. negant teneri impedire, quia in dubio nemo præsumitur malus.; Bonac: probabiliùs affirmat, quia vix aberit culpa, & fœmina utitur jure suo, consulitque saluti proximi.

A R-

ARTICULUS III.

*An liceat alterius peccato materialiter
cooperari.*

Resp. Cooperari tantum materialiter, submi-²⁵⁰
nistrando solum materiam & facultatem pec-²⁰
candi, vel exhibendo objectum, licet, si sequen-²⁰
tes conditiones adsint. 1. Si tuum opus, vel coo-²⁰
peratio sit secundum se bona, vel saltem indif-²⁰
ferens. II. Si bona intentione, & rationabili ex-²⁰
causa fiat, & non, ut juves alterum peccare.²⁰
III. Si alterius peccatum impedire nequeas, aut²⁰
saltem non teneris, propter causam rationa-²⁰
bilem. ²⁰

Circa quam notat *Sanch. & Lay.* etsi ejus gra-²⁰
vitas certam regulam definiri nequeat, sed pruden-²⁰
tis judicio metienda sit; tantum tamen gravio-²⁰
rem requiri, 1. quantum gravius est peccatum, cu-²⁰
jus occasio datur. 2. quantum probabilius est, te²⁰
non cooperante alterum non peccaturum, aut²⁰
quantum certior est affectus peccati. 3. quantum²⁰
propinquius tua cooperatio peccatum attingit.²⁰
4. quantum minus juris habes ad tale opus. 5. de-²⁰
nique quantum magis peccatum cum justitia pu-²⁰
gnat, idque propter damnum tertii. *Laym. l. 2.*²⁰
2. 3. cap. 13. *Unde resolves hos casus:* ²⁰

I. Hoc modo licite materialiter cooperatur²⁰
sponsa contrahens cum sponso, quem scit Sa-²⁰
cramentum accipere in peccato mortali. Sciens²⁰
vero eum habere votum castitatis, peccat con-²⁰
trahendo cum ipso, quia ad contractum illicitum

rum

»tum concurrat. *Laym. l. c. ex Sanch. l. 7. de mar. d.*
 »11. num. 11.

» II. Licetè quòque post matrimonium con-
 »tractum materialiter cooperatur conjunx, si
 »conjugi obstricto voto castitatis reddat debi-
 »tum; imò ad id tenetur ex justitia, si eum exi-
 »gentem non possit à proposito avocare. *Ibid.*

» III. Similiter Parochus Eucharistiam licetè
 »potest, & debet ministrare peccatori, & excom-
 »municato, & hæretico occulto, si petat publicè:
 »imò Confessarius præbere debet petenti, etiam
 »privatim, si ex sola confessione ejus peccatum
 »novit. *Ibid.*

» IV. Excusantur à peccato famuli; si ratione
 »sui famulatûs præstent quædam obsequia, quæ
 »sine gravi suo incommodo negare non possunt;
 »ut v. g. vestiant Dominum, sternant equum, co-
 »mittentur ad lupanar, meretrici deferant mune-
 »ra, eidem venienti aperiant ostium: quia hæc
 »tantùm remotè se ad peccatum habent, & sine
 »iis peccatum fieret. Unde tamen non sequitur,
 »alteri cuivis licere ea præstare. *Bon. p. 11. num. 26.*
 »*Azorto. 2. p. 2. l. 12. c. ult. qu. 8. Lay. l. c. Sanch.*
 »*lib. 1. moral. c. 7. num. 21.*

» V. Ad ea opera, quæ propinquiùs se ad pec-
 »catum habent aut juvant, v. g. subjicere hume-
 »ros, ad movere scaldas hero per fenestram ascen-
 »denti ad concubinam, deferre literas amatori-
 »as ad meretricem, comitari ad duellum, &c. non
 »sufficit communis ratio famulatûs, sed exigunt
 »majorem necessitatem & causam, ut licetè fiant;
 »v. g. periculum gravis aut saltem notabilis da-
 »mni, si detrectent. *Ibid.*

» VI. Ob simile periculum excusantur ut pluri-
 »mum

mum caupones, & propolæ in locis, ubi Catho-
 lici vivunt mixti hæreticis, qui ministrant aut
 vendunt carnes die jejunii comesturis; item vi-
 num ebriosis, dum postulant, etsi sciant eos à
 peccato non excusari; quia plerumque pecca-
 tum æquè fieret, subministrantibus aliis, & ipsi
 damnum notabile paterentur, dum paulatim
 nemo ad eos veniret. *Sanch. n. 16. Bonac. &c.*
 Quòd si tamen hæ rationes non adessent, non
 excusarentur: Unde non licet ea patrifamilias
 (ut nec cœnam die jejunii) ministrare suæ fami-
 liæ, neque cauponi illi, præter quem non sunt
 alii, nisi tamen alia gravior causa cogeret. *Ibid.*

VII. Ea, quæ ad peccatum proximè concur-
 runt, vel inducunt, vel cum justitia pugnant; etsi
 ex genere suo sint indifferentia, v. g. hero alte-
 rum occisuro gladium dare, ostendere illum, qui
 ad necem quæritur, compulsare campanam (si-
 ne scandalo tamen) ad concionem hæreticam,
 meretricem, etsi conductam ac paratam, è do-
 mo evocare, & ad herum deducere, furi scalam
 applicare, gerenti injustum bellum dare mutuas
 pecunias, pagum hæretico domino vendere,
 gravissimam causam requirunt, hoc est, merum
 tanti mali, quod secundum leges charitatis ne-
 mo teneatur subire ad evitandum malum alte-
 rius, v. g. si aliàs occidendus esset. *Laym. n. 4.*

VIII. In civitatibus, in quibus id vitandi ma-
 joris mali causa permissum est, licet domum lo-
 care usurario (excipit tamen jus alienigenam)
 & meretricibus; maximè si alii conductores de-
 sint; nisi tamen meretrices graviter nocerent
 vicinis honestis, vel ob fitum ansam majorem
 darent peccatis. *Sanch. n. 20. Bon. l. c.*

O

IX. Ex-

268

IX. Excusantur à mortali, imò etiam veniali, si causa adfit, artifices, qui faciunt, aut vendunt res indifferentes, quibus quis bene potest uti, licet plurimi abutantur, v. g. aleas, fucos, gladios. Ratio, quia remotè tantùm ordinantur ad peccatum; & simpliciter impedire non possunt. Quòd si tamen abusus esset contra justitiam, non liceret, v. g. si occisuro dares gladium, ob magnum pretium, quod offert: Item, si quis sciat, hunc innocentem non pervertendum, nisi per has suas merces, quia modicum lucrum certæ saluti alterius est postponendum. *Sanch. l. c.*

X. Excusantur etiam, qui ob justam causam vendunt agnum Iudæo, vel infideli, usuro ad sacrificium, Item, qui Iudæorum Synagogas, hæreticorum templa, legitimo Magistratu permittente, ædificant, vel restaurant; præsertim si fieret æquè sine ipsis. *Navar. l. 5. conf. 1. de Iudæis. Lay. n. 4.* Venena autem vendere, nisi iis, qui bene usuri putantur, v. g. ad confectioem colorum, vel medicinam, non licet; v. *Sanch. n. 17.* Unde venditio veneni, quod non servit nisi ad hominis occisionem, simpliciter est mala.

XI. Christiani captivi, ex gravi metu, in trirēnibus Turcarum vel hæreticorum, licitè remigant contra Catholicos: sarcinas, machinas, arma ad bellum necessaria convehunt, propugnacula ædificant, ita probabiliter *Less. l. 2. c. 9. dub. 18. Sanch. n. 18. Suar. Lay. l. c. contra Tol. & alios*, qui docent, peccare mortaliter. Quòd si tamen eo loco res esset, ut hæc negantes magno periculo classē Christianam eriperent, vel victoriam conferrent, tenerentur tantum

bo-

bonum vitæ suæ anteferre, *Suar. Less. Sanch. l. c.*

XII. Incolæ urbis vel provinciæ, quam Ty-
rannus occupavit; licitè manent inter iniquos
possessores, eosque cogente imperio juvant ex-
cubiis, fossione, contributione; idque ex legiti-
mi Principis præsumpto consensu: ex quo etiam
etalia obsequia licitè promittunt cum juramen-
to, ad majora mala sua, & legitimi Principis de-
clinanda, *Lay. n. 5.*

XIII. Nautæ & aurigæ Catholici in Hollan-
dia, etiam sine gravi metu, si absit prava inten-
tio, licitè vehunt annonam ad castra hæretico-
rum, si adsint alii, qui illis cessantibus facerent,
quia nisi id faciant, excludentur omni lucro,
tanquam ososores boni publici. *V. Less: n. 123.*
Sanch. l. c. Filliuc. l. 22. c. 5.

A D D E N D A.

Q. 70. Quid hic notandum sit circa propositionem
§ 1: ab Innoc. XI. damnatam. R. Propositio illa sic
habet, *Famulus, qui submissis humeris scienter adju- 251*
vat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum
Virginem, & multoties eidem subservit, deferendo
scalam, aperiendo januam aut quid simile cooperan-
do, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis
detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne cor-
pis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. Circa hanc
damnationem notanda sunt sequentia.

§. 1. Ex hac damnatione colligitur, non esse
licitum cooperari alterius peccato per talem a- 252
ctionem, quæ per se & proximè ad illud pecca-
tum concurrat seu adjuvet, qui enim sic concur-
rit, re ipsâ directè vult peccatum.

§. 2. Quamvis aliquæ actiones hujus famuli 253

O 2

de

de se non adjuvent per se & proximè ad peccatum, uti v. g. aperire januam aliquam, quod de se est quid indifferens, tamen certum est cooperationem illius Famuli positam in collectione omnium circumstantiarum, quæ hic recensentur, dici debere per se & proximè adjuvare ad peccatum, ideoque esse illicitam; circumstantiæ autem sunt hæ, inprimis quòd faciat scienter, id est, sciens herum velle inferre stuprum cum gravi violatione justitiæ, si enim nesciret vel tantum dubitaret, non deberet præsumere herum suum velle ingredi ex malo fine, cum delicta non præsumantur, tumque ex justa causa posset materialiter cooperari: deinde multoties cooperatur, & scit illam suam cooperationem multoties juvare ad stuprum: præterea damnum, quod timet, non est summè notabile nec gravissimum, nam semel percuti non est famulo intolerabile; aspici torvis oculis est adhuc magis tolerabile; expelli domo etiam communiter non censetur gravissimum malum, quia tales heri post impetum iræ revocant vel permittunt redire famulos, aut saltem talis famulus potest plerumque simile servitium invenire: itaque nunc certum est, quando cooperatio ad peccatum fit per collectionem harum vel similium circumstantiarum, semper peccari.

254 §. 3. Dubitat *Carden.* in 2. crisi. d. 31. n. 4., an talis cooperatio licita foret illi famulo, si ab hero timeret gravissimum malum, v. g. lethale vulnus, mutilationem, mortem, *7lls. t. 3. n. 114.* putat excusandam à mortali, sed probabilius est non excusandam, quia cooperatio posita in illis circumstantiis videtur per se & proximè tendere ad peccatum, adeoque esse intrinsecè mala, nec posse

posse ex ulla causa cohonestari : hinc limitanda est doctrina *Busenb.* , quamvis enim non contineat propositionem damnatam, eò quòd non loquatur de hero volente inferre stuprum, quod est peccatum contra justitiam , neque de famulo multoties sic subserviente, favet tamen propositioni damnatæ.

Q. 1. *Quomodo liceat petere, permittere vel cooperari ad aliquid, quod non fit sine peccato.* R. §. 1. Pro hoc communiter dantur seqq: regulæ. 1. Si absolute petis rem ab altero fieri , quæ nullo modo potest fieri aliter, quàm peccando, peccas, quamvis certò scires alterum paratum esse ad faciendum. *Dixi*, absolute, quia posses conditionatè petere, ut impedires majus peccatum, uti n. 222. dictum est. 2. Hoc solum licitum est petere ab eo , qui paratus est facere, quod ipse potest licitè præstare. 3. Non peccat, qui ex justa causa petit opus, quod bene & malè fieri potest ab altero, licèt sciat ipsum malè facturum, & faciendo peccaturum : Ratio est, quia ex rationabili causa petis, quod tibi utile est, & alius rectè præstare potest; quòd si non præstet, sicuti debet, ipsi imputatur, nam tu jure tuo uteris, neque ob illius malitiam teneris cum gravi incommodo tuo abstinere. 4. Non peccas, si ex justa causa offeras materiam ex se licitam , quâ alter ex malitia sua abutetur ad peccandum : Ratio pro hoc est eadem , id enim est præter intentionem tuam : advertendum est tamen non ubique semper sufficere eandem causam , nam tantò major requiritur, quantò peccatû ad quod præbetur occasio, est gravius, & quantò proximius ac magis concurrat ad illud ; item quantò probabilius est peccatum non secuturum, si non præberem occasionem &c: 5. Qui facit aliquid indif-

ferens, ignorans an alter sit abufurus necne, non dicitur cooperari, si hoc faciat ex rationabili causa, absque intentione, ut alter abutatur, quia in dubio alter præsumi debet non abufurus. 6. Non pecco, si faciam opus indifferens & remotè concurrens ad peccatum, quo posito alter peccat, adhuc peccaturus, licèt ego illud opus non fecissem. 7. Pecco, si permittam peccatum alterius eo fine, ut peccatum fiat. Has regulas communiter tradunt Doctores, cum *Sanch.* in Decal. l. 1. c. 7. & l. 3. c. 8. *Bonar.* de pec. d. 1. q. 4. p. 2. §. 1. *Castrop.* t. 6. d. 6. p. 10. *Tamb.* in Dec. l. 5. c. 1. §. 4. n. 2. & 16. ex quibus iidem Auctores sequentia deducunt:

256 §. 2. Peccas invitando Titium ad cœnam die jejunii, quamvis scias eum paratum esse ad frangendum jejunium, quia petis rem fieri, quæ eo tempore ab ipso fieri non potest sine peccato, *Vasq.* *Castrop.* & alii. Catholicus tamen aliquis nobili hæretico ad se divertenti potest amicitia & humanitatis causâ apponere cibos in die jejunii, si alioqui daret occasionem gravibus querelis & murmurationibus contra se tanquam rusticum, inurbanum, superbum, *Lug.* de Fide d. 14. n. 168. & *Arsdeck.* t. 2. p. 2. t. 6. de hæreticis q. 16. Et de tali circumstantia vel occasione offendendi amicum invitatum sic habet *S. August.* serm. 231. de temp.; tu eum noli adjurare, noli cogere, sed in potestate ejus dimitte, ut quantum sibi placuerit, bibat, si se inebriare voluerit; idem autem est de ministracione cibi: hinc addit *Tamb.* amicum posse amico apponere cœnam urbanitatis causâ etiam die jejunii, & rationem dat l. 4. c. 5. §. 6. n. 9., quia ex una parte ratio hospitii excusat, ex alia parte hæc opera sunt indifferencia, hospites enim tantum

po-

poterunt sumere, quantum sibi licebit, nec ipse
 invitat ad transgressionem jejunii. Addit *Uss.* t. 3.
 n. 117. eum in civitate acatholica non peccare,
 qui die vetito apponit carnes alicui, qui nihilo-
 minus alibi eas erat certo comesturus, quia appo-
 nens non inducit nec determinat ad illud pecca-
 tum, sed tantum determinat ad individuū hujus
 materiæ præ illa, in quo nihil est distinctæ mora-
 liter malitiæ: atque pro ea sententia citat *Nav:*
Less: *Sanch:* *Laym:* contra *Castrop:*

§. 3. Si Dominus velit comedere carnes in 257
 contemptum Ecclesiæ, non peccat famulus eas
 coquens & porrigens, si sine gravi damno non
 possit evitare, quia actio, quæ præcipitur famulo,
 non est illa, quæ contemnitur Ecclesia, sed hæc a-
 ctio est ipsa manducatio: si autem nullum signum
 exterius appareat, præsumi potest, quod non
 præcipiatur ex contemptu Ecclesiæ, ita *Less.* in
Auct. V. Hæreticus. cas. 13. *Steph.* t. 3. d. 1. n. 41.
 & alii.

§. 4. Si absit scandalum, potest venator vel au- 258
 ceptus in quadragesima capere feras vel aves, &
 vendere in terris hæreticorum, quia opus illud
 per se est indifferens, & valde remotè cooperatur
 violationi præcepti Ecclesiæ, sic enim in plerisque
 locis tum venditur caro pro iis, quibus licet co-
 medere, quod eorum conscientiam relinquitur, ita
Less. cas. 14. Similiter si Opifex catholicus famu-
 los habeat hæreticos valde peritos, qui nolint
 apud eum in quadragesima permanere, nisi car-
 nes apponantur, quos tamen absque gravi rei
 familiaris jactura dimittere non potest, si absit
 scandalum, posse illis apponere carnes, docent
Burgh: cent. 1. cas. 21. & *Arsdek:* suprâ, quia hoc
 non videtur esse formaliter cooperari peccato,

sed solum illud permittere ; & pluribus locis, ubi catholici hæreticis permixti vivunt, id usu receptum esse dicunt.

259 §. 5. Non licet diebus festis petere laborem servilem ab hæreticis, quamvis alibi sint laboraturi, ita *Arsdek.* q. 17. §. 3. Ratio est, quia hæretici obligantur illo præcepto tum abstinendi à servilibus, ergo licitè non laborant, ergo pecco petendo ab illis, quod nullo modo licitè fieri potest in illis circumstantiis.

260 §. 6. Potest aliquis privatus aliquod opus dare faciendum alteri sive hæretico sive Catholico, quamvis putet hunc etiã die festo laboraturum, dummodo ad hoc illum non inducat, & ille nihilominus erat tali die laboraturus, tunc enim passivè se habet ad violationem Festi, neq; privatus sed solus Superior tenetur curare, ut serventur Festa, ita *Less.* cas. 6.

261 §. 7. Qui sine justa causa vinum vendunt illis, quos probabiliter putant se inebriaturos, peccant mortaliter : Causa autè sufficiens, per se loquendo, non videtur esse lucrũ, quo carerent nõ vendito illo præcisè vino, hoc enim lucrũ est omnino modicum, ita *S. Thom.* 2. 2. q. 250. a. 1. *Beja* p. 1. cas. 48. *Valent. Rodriq. Sanch. Bonac.* de pec. d. 2. q. 4. p. 2. §. 1. n. 30. *Gob.* in *Quin.* t. 5. c. 13. à n. 46. : Similiter, inquit *Beja*, si quis Caupo, ut plures hospites habeat, permittat ad ædes suas venire meretrices & inservire mensis, peccat mortaliter, quia dat occasionem proximam peccatis, tum meretricum tum hospitem : Causas tamen justas promendi vinum etiam se inebriaturis dicunt *Sanch. & Castrop.* esse, si alioquin esset afficiendus, non tantum contumeliis sed etiam gravibus molestiis & incommodis : item si notabiliter minuendus

nuendus esset affluxus hospitem, id enim cum tempore esset ipsi grave damnum; & ita docent Auctores gravissimi relati in *vindicis Gobat*, p. 2. ad prop: 17. favetque *S. August.* n. 256. relatus. Quod si dubitet, an hospites sint se inebriaturi, putat *Gob.* n. 52. contra *Navar.*, etiam si abesset talis causa, promere posse, quia est in possessione, quod sibi liceat promere, neque delictum aliorum debet præsumi; verius tamen videtur, si probabile sit alios inebriandos, non posse sine justa causa promere, ne eos exponat periculo proximo peccandi.

§. 8. Peccat graviter, qui alium provocat ad 262
haustus, è quibus prævidetur secutura ebrietas, quamvis id fiat amicitia causa: similiter peccant graviter, qui alios vexationibus inducunt ad blasphemias, imprecationes, contumelias &c, quia formaliter cooperantur ad peccatum.

§. 9. Non peccat, qui vendit ornamenta puel- 263
læ per illa sollicitaturæ alios ad peccatum, quæ ornamenta venderentur ab alio, ita *Sanch. Nav. Az. Less. Bonac.* n. 35. *Dian.* p. 5. t. 7. R. 38. contra *Castrop.* & alios. Ratio est, partim quia illa venditio est quid indifferens & remotè se habens ad peccatum, partim etiam quia si vendens peccaret, esset ideo, quia non impedit peccatum proximi, atqui licet non venderet, non ideo impediret, alius enim esset, qui venderet, ergo vendendo non peccat. Ex eadem ratione judicarunt viri docti me non peccare, si vendam panes hæreticis, quibus utentur in suo falso sacramento cœnæ.

§. 10. Si fœmina munera acceptet oblata ab 264
amasio ea largiente ex malo fine, quamvis ipsa non consentiat ejus intentionibus, regulariter peccat graviter, quia fovet impurum ejus amo-

rem, desiderium ac spem. *Nec refert*, quòd dicat se nolle consentire, *nam* re ipsa acceptando adhuc relinquit spem, ita *Sporer. t. 5. c. 5. n. 141.*

265 §. 11. Peccat, qui alteri irato reddit suum gladium, quo prævídetur occisurus alterum, nisi excuset metus gravis incommodi, ita *Sanch. Bonac. & alii.* Ratio est, quia licèt illa redditio sit res de se indifferens, tamen in his circumstantiis proximè se habet ad occisionem, ergo teneris non reddere, si possis sine gravi incommodo. Similiter peccat, qui alterum reddit audaciorém vel animosiorém ad peccandum, si id faciat per actionem propinquam peccato, uti si gladium suum meliorem det duellaturo, non audenti duellare suo minùs apto, ita *Tamb. n. 19. & 22.*

266 §. 12. Si adsit justa causa, licitum est petere juramentum ab eo, quem putas pejeraturum, ita cum aliis *Suarez, Dian. R. 9. Tamb. in Dec. l. 3. c. 1. §. 6. n. 1. contra Sot. Vasq. Sylvium & alios.* Quòd si scias alterum determinatum esse ad non jurandum aliter, quàm falsò, *Bonac. Castrop. & alii* dicunt non licere petere, quia peteretur juramentum illud, quod alter non potest licitè præstare: si autem inducas Cajum ad jurandum aliquid, quod ipse putat esse verum, tu autem scis esse falsum, quamvis ignorantia illum à peccato excuset, tu tamen peccas, quia inducis, ut adducat Deum in testem falsi, quod est intrinsecè malum, Ita *Azor Suar. Sanch. Tamb. à n. 3. contra Hurt.,* cujus sententiam *Dian. R. 14. vocat probabilem:* si tamen ille se offerret ad sic jurandum, & hoc juraret ad probandum aliquid, quod scires esse verum, licebit permittere, ut juret, ita *Sanch. in Dec. l. 3. c. 8. n. 11.*

267 §. 13. Licitum est petere mutuum ab usurario, quando

quando est rationabilis causa, ita *S. Thom.* aliique communiter; unde si quis pecuniâ indigeat ad negotiationem necessariam, nec possit facillè aliunde habere, licitè petet ab usurario: imò etiam si sciret illum non esse mutuaturum, nisi ipsemet petens, usuram offerat, poterit sic dicere, da mihi mutuo centum, & restituum tibi centum, & si volueris, etiam decem; ita *Mol. Sanch. Hurt.* apud *Dian.* p. 5. t. 5. R. 8. Idem tenent *Tamb.* in Dec. l. 5. c. 1. §. 4. à n. 44. & *Spor.* t. 6. c. 4. n. 125. Ratio est, quia non petit peccatum usurarii sed mutuum, quod licitè dari potest; ex rationabili autem causa utitur adjuncto peccato usurarii, & dat occasionē scandalo tantum pharisaico. Quòd si peteretur mutuum à tali usurario sine necessitate, sed tantum ad lusus non necessarios vel ad negotiationem superfluum, *Cajet. Navar.* & alii multi apud *Sanch.* n. 23. adhuc putant peccari tantum venialiter, quod *Sanch.* putat probabile, *Castrop.* tamen & alii communiùs dicunt peccari mortaliter, quia non adest sufficiens causa honestans permissionem istius peccati.

§. 14. Non peccat, qui juvat usurarium in numerandis pecuniis, in scribendis nudis rationibus, quæ nihil faciunt ad repetendas usuras, in deferendo pignore pro securitate usuræ, in exigendis amicè usuris, ne alter videatur infidelis. Ratio est, quia hæc supponunt peccatū, vel nudè concomitantur, neque mutuarius ad hæc est invitus: Peccat tamen Notarius scribens contractum usurarium, quia licet mutuarius consentiat, ipse facit contra suum juramentum, quo tenetur non servire in actibus injustis: atque idem est de Testibus firmantibus talem contractum, ita *Tamb.* n. 60. Quomodo autem Principes non
sem-

semper peccēt permittendo usuras, videri potest apud *Dian.* p. 9. t. 8. R. 14. Vide etiam dicenda l. 3. *Busenb. f. 209* p. 2. à n. 925. An autem licitum sit domū suam elocare usurario vel meretrici, dicitur ibid. n. 1042.

269 §. 15. Ex causa licitum est mutuare usurario, quamvis hic pecuniā illā sit abusus : causa autem justa est periculum offendendi illum, qui potest multū nocere, ita *Azor, Pirh.* l. 5. tit. 19. n. 116. *Less.* in *Auct. v. usura.* c. 5. Ratio est, quia mutuare est actio indifferens & usurarius posset non abuti; neque mutuans tenetur cum gravi suo incommodo peccatum illius impedire : notat tamen *Less.*, quod solum commodum iusti lucri non sit causa sufficiens, quia tale lucrum potest haberi in alia honesta negotiatione.

270 §. 16. Qui vendit alteri, quem novit injustē revenditurum, quia hic revendens miscebit v. g. vinum aquā, non peccat, si difficulter vel cum damno debuisset vendere alteri : peccat autem contra Charitatem, si alteri potuisset æquē commodē vendere, ita cum aliis *Tamb.* n. 37.

271 §. 17. An liceat petere à malefico, ut tollat maleficium, dicitur l. 3. p. 1. à n. 41. Peccant tamen omnes, etiam Judices, qui vel ex curiositate, vel ad explorandum, an aliquis sit magus, inducunt, ut exerceat coram se opus maleficii, vel magiæ, v. g. ut faciat mures, quia inducunt ad opus, quod nunquam licitē fit, cum semper fiat ex pacto cum dæmone : similiter non licet petere à mago vel quoquam alio, ut furem occultum ostendat, quia hoc non fit, nisi recurrendo ad dæmonem, vel utendo aliquo pacto cum illo, ita *Less. V. Magia,* cas. 5. Quod si saga sponte se offerat ad notas in alio ostendendas, per quas cognoscatur etiam esse maleficus vel complex, *Less.* dicit non licere
fistere

fistere alterum coram saga, quia, qui fisteret, consentiret, & poni vellet actionem, per quam saga illum convinceret, hæc autem actio est usus pacti cum dæmone: similiter qui materiam præparat mago, circa quam operetur, v. g. qui tenet speculum, ut magus in eo ostendat furem, aut qui ponit cribrum vel pelvim, intendens ut ipse arte sua uratur, graviter peccat, quia actioni magicæ cooperatur, ita *Less. supra*. Vide dicenda l. 3. p. 1. n. 44.

§. 18. Peccas, si extra necessitatem vel utilitatem magnam petas ab excommunicato tolerato, ut tibi Sacramenta ministret, ita *Suar.* & alii contra *Sanch. Hurt. & Tamb.* n. 40.; si autem petas ab impio Sacerdote, ut tibi Sacramenta ministret vel celebret, si non adsit necessitas vel utilitas magna, etiam probabiliter peccas, quamvis id negent *Az. Hurt. Dian.* p. 5. t. 7. R. 8.; quia petis actum prohibitum in eis circumstantiis, in quibus non est moraliter possibile, ut licitè ponatur ab illo, à quo petitur.

§. 19. Peccat famulus, qui scribit, vel ad alterum defert literas aut nuntia directè tendentia ad peccatum, v. g. ad fornicationem vel duellum, ita *Sanch. Bonac. Rebellus*. Rationem dant, quia hæc nuntia & hæc literæ sunt intrinsecè malæ: de veritate hujus rationis dubitat *Castrop.* t. 6. d. 6. p. 11. n. 7., si enim absit animus & finis malus, videntur indifferentia respectu scribentis vel deferentis; non licebit tamen scribere vel deferre, quia per se & proximè habent se ad peccatum: unde audiendus non est *Merolla* apud *Dian.* p. 3. t. 6. R. 1., qui excusat scribentem ex gravi causa. Quòd si famulus dubitet, an literæ contineant turpia, *Sanch.* adhuc putat deferre non posse, sed *Castrop.* absolutè dicit posse, *Rebellus* & alii dicunt

dicunt debere, quia famulus tenetur obedire, ubi non est peccatum; & in dubio stat præsumptio pro Domino.

274 §. 20. Aurigæ vel nautæ, qui vehunt ab uno loco in alium quendâ, quem sciunt eò proficisci ad peccandum, non peccant, quia remotè tantùm cooperantur ad malum, per actionè de se indifferentè, ita *Nav. Merol. Dian. apud Tamb. n. 30.*

275 §. 21. Si Patria injustè sit capta ab hoste, secluso scandalo non tenentur antiqui Officiales sua officia deponere, quamvis aliquando debeant scribere aut subscribere decreta, vi quorum fiant injustæ exactiones, nam idem fieret ab aliis plùs notituris, ideoque Respublica aut prior Dominus censetur malle, ut tales maneant in officio, qui id faciant animo impediendi majus malum, & cum spe faciliùs restaurandi causam justam, quem etiam animum habere debent ejusmodi officiales, ita *Less. v. Rebellio. cas. 2.*, ubi *cas. 5.* ait multò magis licitum esse colligere vectigal vel contributiones, licèt impendendæ sint ad bellum injustum, collectio enim illa de se est indifferens, & remotè se habet ad peccatum malè impendentis. Addit *cas. 4.*, secluso scandalo, & si adfit metus gravis damni, licitum esse proclamare diem precum pro felici successu belli, quod injustum est, tum autem intendi non debet victoria hujus injustæ partis, sed successus felix, quia injustè bellanti feliciùs est vinci quàm vincere.

276 §. 22. Si peccatum permittas eo fine, ut peccantem punire possis, v. g. si Custos gabellæ se abscondat, ut nauta præteriens puniatur, peccat, quia qui pœnam necdum contractam intendit, etiam intendit peccatum, ad quod pœna consequitur; non tenebitur tamen restituere, quia non est

est contra Justitiam sed tantum contra Charitatem, ita *Tamb. n. 3.* Quod si intenderes, ut semel deprehensi aliis vicibus sibi magis timerent defraudare gabellam, & sic minus delinquerent, non peccares, quia ex causa permitteres unum delictum, ut impedirentur plura. An liceat alicui occasionem offerre ad peccandum, aut saltem eam permittere, ut in peccato illo deprehensus corrigatur & resipiscat, de his habet *Busenb. relatus n. 243.* in fine, possuntque videri *Mendo in Stat. d. 1. q. 20.* & *Moya t. 6. d. 6. q. 3.* ubi quaestiones illas optimè tractant. *Illf. tr. 3. n. 116.* docet posse offerri occasionem peccati venialis, ut se servet indemnum & alterum emendet.

§. 23. Christianos captivos, qui simul cum ²⁷⁷ Turcis ad litora Christianorum adventant, posse cum Dominis Infidelibus cooperari ad rapinas & incendia ob vitandam mortem sibi aliàs imminentem, docent *Lorca, Dian. Castrop.* & alii apud *Mendo d. 6. q. 10.*, qui defendit velut probabile, quia sunt in extrema necessitate, in qua licitum est uti bonis temporalibus aliorum pro liberanda vita sua.

Index Rerum Libro II contentarum.

Numeri hic, sunt marginales.

- Amoris actus & affectus varii.* à 157.
Calendarium vetus, an observari possit. n. 113.
Charitas erga Deum. n. 1130. Quando obliget. à n. 131. n. 144. Modus disponendi ad illà. à n. 146.
Charitas proximi. à n. 168. Ordo. n. 168. à n. 176.
Communicatio cum Judæis. à n. 82.
Contritionis actus. n. 156.
Cooperatio ad peccatum. à n. 250.
Corruptio fraterna, quando facienda. à n. 208.

Dela-

- Delatio, denuntiatio criminis.* à n. 217. 215.
Deus, quid sit. n. 149. *Amâdus super omnia.* n. 152.
Eleemosynæ præceptum, quando obliget. à n. 194.
Fidei præceptum. n. 1. 10. à n. 41. 50. *Necessitas.* à n. 8. 11. 14. 43. *Professio.* n. 41. 53. *Negatio exterior.* à n. 54. n. 61. *Actus.* n. 153. *An repudiari possit.* n. 5. à n. 43. *Quâ requirat revelationē.* n. 6. *Fidei amissio.* à n. 72. *Instructio rudiū.* à n. 30.
Hæresis, apostasia: n. 92. *Cum hæreticis matrimonia.* n. 92. à n. 95. *An in Germania materiales.* à n. 93. *Apud Hæreticos famulari.* à n. 102. *Administrare officia.* n. 108. *Eos promovere.* n. 109. *Sepelire loco sacro.* à n. 110. *Denunciare.* n. 215. *Hæretici libri.* n. 115.
Infidelitas. n. 71. *Purè negativa, inculpabilis.* n. 76. *Infidelium actiones, an peccata.* à n. 74. *Quid contra eos possint Catholici.* à n. 77.
Inimicus diligendus. à n. 182. *Placandus.* à n. 191.
Necessitas corporalis. à n. 194. *Spiritualis.* n. 175.
Pastoris obligatio succurrendi suis. n. 174.
Peccato alieno cooperari. à n. 250.
Præceptum Fidei, Spei, Charitatis. n. 1.
Præsumptio de misericordia Dei. à n. 126.
Proximus. n. 170. *Diligendus.* à n. 168. *An ante me.* à n. 176. *baptizandus præfertur absolvendo.* n. 181.
Scandalum à n. 221. *An permitti possit.* à n. 243. *Materialiter cooperari peccato.* à n. 250.
Sepultura hæretici. à n. 110.
Spes. n. 116. 118. *Ejus motivum.* à n. 120. *Necessitas.* à n. 14. 116. *Actus.* n. 154. *Peccatum contra spem.* n. 116. *Amissio.* n. 129. *Instructio ad spem.* à n. 118.
Superfluum debetur eleemosynæ. à n. 198.
Tristari bono, gaudere malo alieno. à n. 183.